MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81292-20

AUTHOR:

FRANKE, KARL

TITLE:

DE OVIDII FASTORUM FONTIBUS CAPITA...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1909

Master Negative #

93-81292-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Franke, Carl, 1885-

De Ovidii Fastorum fontibus capita tria, dissertatio...quam...scripsit Carolus Franke... Halis Saxonum, Wischan, 1909.

70 p. 22 cm.

Thesis. Halle.

Vol. of theses.

28988

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 4/16/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no 3

DE OVIDII FASTORUM FONTIBUS CAPITA TRIA

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS FRANKE
HILDESIENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCIX

DE HAC DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
GEORGIUS WISSOWA

Examen rigorosum habitum est die III. mens. Febr. a. 1909

DIS MANIBUS PARENTUM
SACRUM

Praefatio.

Quin Ovidius in fastorum opere condendo fastos publicos populi Romani a C. Iulio Caesare ordinatos tamquam fundamentum totius carminis usurpasset, viris doctis, qui in fontibus fastorum Ovidianorum investigandis versati sunt, numquam dubium fuit. Quod clarissime elucet ex opinionibus et Rudolphi Merkelii, qui in prolegomenis editionis fastorum (Berolini 1841 p. LII sqq.) demonstrare studuit Ovidium pro fundamento posuisse fastos Maffeianorum, quos vocant, quam simillimos, et Hermanni Winther, qui in libello, qui inscribitur *De fastis Verrii Flacci ab Ovidio adhibitis* (Berolini 1885) Verrii fastos ab Ovidio usurpatos esse probare conatus est. Quo magis iure meritoque mireris, quod nemo adhuc omnes fastos anni Iuliani lapidibus incisos, qui ad nos pervenerunt, adcuratius in comparationem vocavit.

Quod examen, cum ad adnotationum, quae in fastis exstant, delectum attineat, sine dubio secernendum est ab eo, ex quibus fontibus Ovidius doctrinam et ad sacra et ad antiquitates spectantem desumpserit. Ad hos fontes indagandos viam quaerendi bene monstravit Hermannus Winther, qui magnum concentum animadvertit, qui intercedit inter Ovidii fastos et reliquias fastorum libri a Verrio Flacco compositi. Quemadmodum autem Verrii fastorum liber ab Ovidio adhibitus sit, usque ad hoc tempus non satis exploratum est, cum Wintherus fastorum doctrinam apud alios auctores traditam in Ovidii et Verrii doctrina comparanda omnino neglexerit et eas partes carminis Ovidiani, quae a Verrii fastorum commentario

certe alienae sunt, ad eundem fontem deduxerit. Quae cum ita sint, eam ratiocinationis viam in hac disputatione nobis ingrediendam esse censeo, ut Ovidii adnotationum ex fastis depromptarum delectu cum hemerologiis lapidibus incisis comparando primum quaeramus, utrum Ovidius unum solum an compluria fastorum exemplaria in usum vocaverit, deinde autem inquiramus, quemadmodum fastorum commentarium a Verrio Flacco compositum adhibuerit, denique quos ad fontes fastorum doctrina, quae in hoc fastorum libro non legebatur, revocanda sit.

Caput I.

Ovidius se in fastorum opere condendo fastos inspexisse, ipse compluribus locis indicat, quorum nonnullos adferre satishabeo.[1]) Fast. II 7

Idem sacra cano signataque tempora fastis.

I 289 sq.

Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis,
sacravere patres hac duo templa die.

Propter hos versus et Ovidii fastorum indolem, quippe qui simili modo, quo hemerologia lapidibus incisa, instructi sint, Ovidii fastorum fontium investigatores sibi persuaserunt ab Ovidio unum solum calendarium usurpatum esse, Merkelius tabulas Maffeianarum similes, contra Wintherus Verrii Flacci fastos, quorum fragmenta praebent fasti Praenestini, cum fasti Ovidiani ad Praenestinos propius accedant, quam ad Maffeianos. Qui viri docti, etsi fastos anni Iuliani ab Ovidio adhibitos esse pro certo habuerunt, tamen quaestionem de compluribus

[1]) Omnes locos, quibus Ovidius hunc fontem commemorat, invenis apud Wintherum l. c. p. 4 sqq. collectos.

hemerologiis a poeta usurpatis omnino neglexerunt, ut primus observavit V. C. Georgius Wissowa, qui in Analectis Romanis topographicis de Wintheri libello ita iudicat: *Nam cum Hermannus Winther bene demonstraverit Ovidium exscripsisse librum fastorum a Verrio Flacco compositum, tamen iusto plura huic fonti tribuit nimiusque fuit in aliis auctoribus excludendis; qui ut Varronem nisi intercedente Verrio ab Ovidio adhibitum esse iniuria negavit, ita de compluribus fastorum exemplaribus a poeta in usum vocatis ne movit quidem quaestionem, quamquam sunt, quae recte explicari nequeant, nisi Ovidium diversa diversae aetatis hemerologia inspexisse et in unum consarcinavisse sumimus.*[1])

Idem vir doctissimus, cum id duobus exemplis acute inlustraverit, nobis egregie viam ratiocinationis indicavit ad hanc fontium investigationis partem absolvendam. Ut hanc de hemerologiis ab Ovidio usurpatis quaestionem expediamus, eae Ovidii adnotationes, quas ex fastis desumpsit, cum fastis lapidibus incisis quam adcuratissime comparandae sunt. Viginti fastorum imperatorum aetate lapidibus incisorum, quos Theodorus Mommsen in C. I. L. I² p. 205 sqq. egregie edidit atque inlustravit, postremo autem Georgius Wissowa adcuratissime perscrutatus est,[2]) fastos Venusinos, Esquilinos, Caeretanos, Maffeianos, Praenestinos, Vaticanos, Amiterninos cum Ovidianis comparaturus sum, quippe quorum fragmenta ad priores sex menses ab Ovidio in carmine tractatos pertineant. Priusquam autem ad ipsam comparationem accedamus, paucis dicendum est de tempore, quo singula hemerologia concepta sint. Examinemus igitur, quid hucusque viri docti de fastorum aetate determinanda observaverint. Primus de hac re disputavit ipse fastorum editor Theodorus Mommsen,

[1]) G. Wissowa, Ges. Abhandlungen zur röm. Religions- u. Stadtgeschichte p. 271.

[2]) Pauly-Wissowa, Realencyklopädie VI p. 2015 sqq.

qui in C. I. L. I² p. 206 sq. haec fastorum tempora definivit:

1. Cal. Esquilinum ante 738 u. c. = 16 a. C.
2. Cal. Caeretanum post 745 u. c. = 9 a. C.
3. Cal. Venusinum post 738 u. c. = 16 a. C.
4. Cal. Maffeianum intra 746—757 u. c. = 8 a. C.—4 p. C.
5. Cal. Praenestinum intra 757—763 u. c. = 4—10 p. C.
6. Cal. Vaticanum post 738 u. c. = 16 a. C.
7. Cal. Amiterninum post 773 u. c. = 20 p. C.

Aetatem fastorum Esquilinorum et Venusinorum Mommseno adcuratius definivit Georgius Wissowa in Analectis Romanis topographicis l. c. p. 276, qui Mommsenum redarguens fastos Esquilinos Minervae natalem ad Iun. 19 adnotantes post a. 738, fastos Venusinos eundem natalem omittentes ante hunc annum conceptos esse luculenter ostendit. Quod si qui quaerunt, cui aetati fasti Praenestini vel Verrii Flacci sint adsignandi, iis hoc respondendum est, hoc loco non id agi, quando fasti Praenestini lapidibus incisi sint, sed quo tempore fastorum volumen, quod ab Ovidio inspectum esse infra demonstrabitur et cuius epitoma in fastis Praenestinis exstat, a Verrio Flacco compositum sit. In hoc Verrii fastorum libro septem adnotationes a Mommseno in C. I. L. I² p. 206 enumeratas non exstitisse, quae in fastis Praenestinis post tabulas incisas litteris diversis secunda manu additae sunt, iam per se manifestum est. Inter adnotationes autem prima manu incisas atque e fastorum libro descriptas temporum indicia nulla nos ducunt ultra annum 757.

Verrii fastos post hunc annum conceptos esse inde colligitur, quod in fastis Praenestinis pauca verba servata sunt, quae ad Tiberium ab Augusto hoc anno adoptatum pertinent. Ut Verrii fastos post annum 757 conceptos esse constat, ita ante annum 759 absolutos esse probatur. Postquam enim Theodorus Mommsen [1]) imprimisque Georgius Wissowa [1]) sententiam ab Aemilio Aust [2]) prolatam, qui suspicatur posse eam fastorum Praenestinorum adnotationem, quae ad aedem Castoris pertinet, a secunda manu additam esse eamque referri ad aedem Castoris a Tiberio a. 759 refectam summo iure abiecerunt, ex adnotationis forma Verrii fastos ante annum 759 absolutos fuisse concluditur. Ita enim ratiocinabimur: Cum in fastis Praenestinis natales templorum duobus diversis modis adnotari Aemilius Aust l. c. p. 42 sq. acute intellexerit, aut ita, ut legimus ad Kalendas Martias *Iun[o]ni Lucinae E[s]quiliis, quod eo die aedis eius [dedica]ta est* et ad Ian. 1 *[Aescu]lapio Vediovi in insula,* quo natales, qui hemerologii tempore celebrabantur, significantur, aut simpliciter *Artificum dies, [quod Minervae] aedis in Aventino eo die est [dedicata]*, quod adnotationum genus spectat ad natales abolitos, quorum tamen memoria non omnino interiit, adnotatio autem ad Ian. 27 adscripta *aed[is Castoris et Po]llucis dedicat[a est]* secundam formam speciemque praebeat, inde intellegitur natalem Castoris et Pollucis in fastis Praenestinis adnotatum inter abolitos numerandum esse. [3]) Talis enim adnotatio in fastis Praenestinis certe nobis non occurreret, si eo tempore, quo fasti compositi sunt, aedis Castoris a Tiberio iam refecta esset, quod anno 759 u. c. factum esse compertum habemus. Iam ergo dubium non est, quin fasti Praen. ante a. 759 u. c. = 6 p. C. scripti sint. Itaque Verrii fastos intra annos 757—759 u. c. = 4—6 p. C. conceptos esse constat. Iam deinceps ad ipsam fastorum comparationem accedamus, quam ita instituemus, ut primum natales templorum inter se conferamus, quidque inde deveniat lucis examinemus. Tum ad feriarum publicarum com-

[1]) C. I. L. I² p. 206.

[1]) Analecta Romana topographica l. c. p. 273.

[2]) E. Aust, De aedibus sacris populi Romani inde a primis liberae rei publicae temporibus usque ad Augusti imperatoris aetatem Romae conditis, Marpurgi 1889 p. 43 adn. 1.

[3]) Cf. Wissowa l. c. p. 272 sq.

Natales templorum

	Fasti Ovidiani	Venusini	Esquilini	Caeretani	Praenestini	Vaticani	Amiternini
Ian. 1	Aesculapius in insula				Aesculapius in insula		
„ 1	Vediovis in insula				Vediovis in insula		
„ 11	Iuturna in campo				—		
„ 13	—				—		
„ 16	Concordia ad forum			—	—		
„ 27	Castor ad forum			—	—		
Febr. 1	Iuno Sospita ad forum holitorium						
„ 5	—				Concordia in arce		
„ 13	Faunus in insula		Faunus				
„ 17	Quirinus in colle			Quirinus in colle	Quirinus in colle		
Mart 1	Iuno Lucina Esquiliis				Iuno Lucina Esquiliis		
„ 7	Vediovis inter duos lucos				Vediovis inter duos lucos		
„ 19	Minerva		—	—	Minerva in Aventino		
„ 31	Luna in Aventino			Luna	Luna in Aventino		
Apr. 1	Venus Verticordia		—				
„ 5	Fortuna Publica Citerior in colle				Fortuna Publica Citerior in colle		
Apr. 10	Magna Mater in Palatio				Magna Mater in Palatio		
„ 13	Iuppiter Victor						
„ 13	Libertas						
„ 19	—		—	—			
„ 21	—			—			
„ 23	Venus Erucina ad portam Collinam			Venus			
„ 28	—			—	Flora		
Mai. 1	Lares	Lares	Lares				
„ 1	Bona Dea sub saxo	—					
„ 14	—	Mars Invictus					
„ 15	Mercurius ad circum maximum	Mercurius					
„ 25	Fortuna	Fortuna Primigenia in colle	Fortuna p. p. R. Q. in colle	Fortuna p. p. R. Q. in colle			
Iun. 1	Mars extra portam Capenam	—					
„ 1	Tempestates ad portam Capenam	—					
„ 1	Iuno Moneta in arce	Iuno Moneta					
„ 3	Bellona in circo Flaminio	Bellona in circo Flaminio					
„ 4	Hercules Magnus Custos in circo Flaminio	Hercules Magnus Custos					
5	Dius Fidius in colle	Dius Fidius in colle					

	Fasti Ovidiani	Venusini	Esquilini	Caeretani	Praenesini	Vaticani	Amiternini
Iun. 8	Mens	Mens in Capitolio					
„ 11	Mater Matuta in foro boario	Mater Matuta					
„ 11	Fortuna in foro boario	—					
„ 11	Concordia in porticu Liviae	—					
„ 13	Iuppiter Invictus	—					
„ 19	Minerva in Aventino	—	Minerva in Aventino				Minerva in Aventino
„ 20	Summanus	Summanus ad circum maximum	Summanus ad circum maximum				Summanus ad circum maximum
„ 24	Fors Fortuna trans Tiberim	Fors Fortuna trans Tiberim	Fors Fortuna trans Tiberim				Fors Fortuna trans Tiberim
„ 27	Iuppiter Stator in Palatio	—	—				
„ 27	Lares in sacra via	—	—				
„ 29	Quirinus	Quirinus in colle	—				
„ 30	Hercules Musarum	—	—				

parationem transeamus. Restat denique, ut reliquas Ovidii fastorum adnotationes, quas poeta ex fastis desumpsit, ad fontem revocemus.

In tabulis a me propositis quarum prima exhibetur p. 6 sqq. ad sinistram omnes locos, quos Ovidius ex fastis recepit, conscripsi, adnotationes autem fastorum lapidibus incisorum aetatem singulorum hemerologiorum secutus enumeravi. Ii dies, quibus signum — adscriptum est, in calendariis traditi sunt, sed notatione carent, quibus nil adpictum est, in fastis non iam leguntur.

Quicunque hos Ovidii aedium sacrarum natales cum hemerologiis lapidibus incisis vocaverit in comparationem, facere non poterit, quin intellegat poetam trium aedium sacrarum et dedicationes primarias et refectiones commemorare. Minervae Aventinensis aedis natalem vetustum [1]) ab Ovidio ad diem Mart. 19 indicatum, in fastis Praenestinis ad eundem diem adscriptum invenis, ita tamen, ut ex adnotationis forma cognascatur hunc primarium Minervae Aventinensis natalem ipso hemerologii Praenestini tempore iam abolitum fuisse [2]). In fastis Caeretanis et Vaticanis desideratur, in Esquilinis et Amiterninis certe non fuit adnotatus, quippe qui ad diem Iun. 19 eiusdem aedis diem natalicium recentiorem adnotent. Cum autem illud sacrificium Minervae in Aventino die Iun. 19 factum, quod fasti Esquilini et Amiternini praebent, etiam in fastis Ovidianis (VI 728) notetur, inde Wissowa in Analectis Romanis topographicis l. c. p. 272 sqq. iure collegit, a poeta compluria fastorum exemplaria inspecta esse, cum in uno calendario unum solum eiusdem aedis natalem invenire posset. [3]) Idem sequitur ex duobus natalibus aedis Larum publicorum in summa sacra via positae in Ovidii fastis notatis, ut Georgius

[1]) Cf. Wissowa, Analecta Rom. topographica l. c. 271 sq.
[2]) Cf. E. Aust l. c. p. 42 sq.
[3]) Cf. Wissowa l. c. p. 270.

Wissowa l. c. p. 277 sq. docet. Natalem recentiorem [1]) aedis Larum ab Ovidio VI 791 sq. traditum certe in fastis Praenestinis, Vaticanis, Amiterninis legeremus, nisi ante hunc diem essent mutilati. Sed vetustum eiusdem aedis natalem a poeta ad diem Mai. 1 in fonte lectum [2]) praebent hemerologium Venusinum et Esquilinum, ita ut inde recte conicias poetam duo hemerologia in usum convertisse, cum in uno fonte unum tantummodo sacrificium adscriptum reperire posset. Exstat denique tertium duorum eiusdem aedis natalium ab Ovidio traditorum exemplum, quo haec sententia confirmetur. Aedis enim Quirini vetustae natalis in fastis Ovidianis ad diem Iun. 29, refectae ad diem Febr. 17 commemoratur.[3]) In vetusto sacrificio indicando ad Iun. 29 poeta consentit cum hemerologio Venusino omnium vetustissimo, cum Esquilinum hemerologiaque recentiora de hoc natali sileant. Contra eiusdem aedis instauratae diem ad Febr. 17 praebent praeter Ovidium et fasti Caeretani et Praenestini.[4]) Ovidium autem dedicationes primarias in hemerologio quodam vetustiore, secundas ex recentiore deprompsisse sua sponte patet. In his diversae aetatis hemerologiis ab Ovidio inspectis natales templorum duobus diversis modis adnotati fuisse videntur, ut poetae versus ad tres templorum natales supra

[1]) Ovidii vv. VI 791 sq. ad Iun. 27 ad aedis Larum ab Augusto intra annos 18 a. C. — 3 p. C. refectae dedicationem pertinere Wissowa l. c. p. 277 argumentis luculentis demonstravit.

[2]) Ovidium ad Mai. 1 in fonte non natalem arae Larum praestitum, sed aedis Larum natalem vetustum legisse Wissowa l. c. p. 277 sq. acute perspexit.

[3]) Fastorum vv. VI 795 sq. ad Iun. 29 ad vetustam Quirini templi dedicationem pertinere, II 511 sq. ad Febr. 17 ad restitutionem eiusdem aedis ab Augusto a. 738 susceptam Wissowa Ges. Abhandl. p. 144 sqq. demonstravit.

[4]) Nuperrime novum calendarii Praenestini fragmentum inventum est, quod ad diem Febr. 17 spectat et de Quirini aedis dedicatione agit. Cf. Notizie degli scavi 1904 p. 396 sqq.

tractatos spectantes nos docent. Quod poeta versus fast. III 835 sqq. falso ad sacellum Minervae Captae in Caelio situm rettulit, non aliter explicari potest, ut Wissowa l. c. p. 277 acute animadvertit, nisi ita, ut poeta in hemerologio quodam Quinquatrus Minervae natalem esse legerit et veriloquia, quae apud alium auctorem de Minerva Capta invenerat, ad hanc Minervam rettulerit, cum in hemerologiis natales sacellorum omnino adnotari non soleant. Adnotationem igitur ad Minervae natalem vetustiorem spectantem poeta non in hemerologio quodam legit, cui haec explicatio similiter adpicta erat atque hodie fasti Esquilini et Amiternini servant addito aedis loco *Minervae in Aventino*, sed in fastis, quibus illud sacrificium simpliciter tertio casu *Minervae* adnotatum fuit, quae adnotationis forma saepissime nobis in fastis Venusinis et Caeretanis obviam fit. Contra ex Ovidii versibus, quibus secundam Minervae Aventinensis dedicationem circumscripsit (fast. VI 728)

coepit Aventina Pallas in arce coli

id sequitur, poetam eandem uberiorem adnotationem legisse, quam praebent fasti Esquilini et Amiternini [1]) *Minervae in Aventino*.

Quod idem in eis quoque Ovidii versibus observatur, qui ad duas aedis Larum publicorum dedicationes spectant. Etenim ut Ovidius V 129 sqq. Kalendis Maiis Larum praestitum arae dudum abolitae, cuius natalis in fastis certe omnino non adnotatus fuit, mentionem faceret, eo commotus est, quod in calendario quodam dativum solum *Laribus* aedis loco non significato legebat, qualem ex superstitibus hemerologiis Venusini praebent. Ab his versibus Ovidius fast. VI 791 ad Iun. 27

Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt
hic, ubi fit docta multa corona manu,

ubi natalem Larum posteriorem commemorat, eo differt, quod locum aedis adcurate addidit. Itaque poetam in

[1]) Cf. Wissowa l. c. p. 274.

hemerologio recentiore talem fere explicationem *Laribus in summa sacra via* invenisse certum est. Eadem fere ratione fastorum versus ad Quirini aedis dedicationes pertinentes inter se discrepant. Versus, qui ad natalem vetustum spectant fast. VI 795 sq. ad Iun. 29

Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
cum data sunt trabeae templa, Quirine, tuae

aedis locum omittunt, qui ad natalem posteriorem pertinent II 511–12 ad Febr. 17

templa deo fiunt; collis quoque dictus ab illo est,
et referunt certi sacra paterna dies

collem Quirinalem commemorant.

Quae cum ita sint, quaestione dignum videtur esse, quales fastorum adnotationes Ovidius in omnibus versibus componendis legerit, qui ad reliqua templorum sacrificia spectant. Atque primum ei versus examinandi sunt, qui de templorum natalibus liberae rei publicae aetate ante annum 738 u. c. in fastos receptis agunt. Ante hunc enim annum fasti vetustiores ab Ovidio inspecti concepti erant, cum natalem recentiorem aedis Quirini anno 738 refectae certe non adnotarent. In his natalibus indicandis poeta partim locum aedis addidit partim omisit, ita ut eum in fonte has adnotationes legisse certum sit:

Ian.	1	Aesculapio in insula I 291
Ian.	1	Vediovi in insula I 293
Febr.	1	Iunoni Sospitae ad forum holitorium II 55[1]
Febr.	13	Fauno in insula II 193
Mart.	1	Iunoni Lucinae Esquiliis III 245
Mart.	7	Vediovi inter duos lucos III 429
Mart.	31	Lunae in Aventino III 883
April.	5	Fortunae Publicae Citeriori in colle IV 375

[1]) Ovidii errorem, qui vv. II 55 sq.: *Principio mensis Phrygiae contermina Matri Sospita delubris dicitur aucta novis* ad templum Iunonis Sospitae in Palatio sitae spectare videtur, Wissowa, Religion und Kultus der Römer p. 117 adn. 9 inde ortum esse probabile reddidit, quod poeta Magnam Matrem cum Matre Matuta confudit.

April.	23	Veneri Erucinae ad portam Collinam IV 871
Mai.	15	Mercurius ad circum maximum V 669
Iun.	1	Iunoni Monetae in arce VI 183
Iun.	3	Bellonae in circo Flaminio VI 199
Iun.	4	Herculi Magno Custodi in circo Flaminio VI 209
Iun.	5	Dio Fidio in colle VI 213
Iun.	11	Matri Matutae in foro boario VI 479
Iun.	24	Forti Fortunae trans Tiberim VI 773
Mart.	19	Minervae III 835
April.	1	Veneri Verticordiae IV 133
April.	13	Iovi Victori IV 621
April.	13	Libertati IV 623[1])
Mai.	1	Laribus V 129
Mai.	25	Fortunae publicae V 729
Iun.	8	Menti VI 241
Iun.	13	Iovi Invicto VI 650
Iun.	20	Summano VI 729
Iun.	29	Quirino VI 795

Contra omnes fere natales aedium sacrarum Augusti aetate post a. 738 dedicatarum et refectarum locis additis commemorantur, ita ut poetam has adnotationum formas in fonte legisse apertum sit:

Ian.	11	Iuturnae in campo I 463
Ian.	16	Concordiae ad forum I 637
Ian.	27	Castori ad forum I 705
Febr.	17	Quirino in colle II 511
Mai.	1	Bonae Deae sub saxo V 147
Iun.	1	Marti extra portam Capenam VI 191
Iun.	1	Tempestatibus ad portam Capenam VI 193
Iun.	11	Fortunae in foro boario VI 569
Iun.	11	Concordiae in porticu Liviae VI 637
Iun.	19	Minervae in Aventino VI 728
Iun.	27	Iovi Statori in Palatio VI 791
Iun.	27	Laribus in sacra via VI 791

[1]) Ovidium adnotationem *Libertati* falso explicatam ad atrium Libertatis rettulisse Wissowa l. c. p. 275 cognovit.

Cum Ovidius in omnibus his natalibus templorum Augusti aetate refectorum et conditorum indicandis adcurate aedis locum addiderit, casu vel poetae neglegentia factum esse arbitror, ut in uno exemplo ab hac regula discedat. Nam in eis versibus, quibus Herculis Musarum aedis in circo Flaminio a L. Marcio Philippo instauratae natalem tradit (fast. VI 797 sqq.), aedis locum non posuit. Tabellae igitur supra p. 12 sq. propositae docent natales templorum liberae rei publicae aetate conditorum in Ovidii fastorum fonte partim aedis loco significato, partim omisso adpictos fuisse, omnes autem dies natalicios aedium Augusti imperatoris aetate refectarum et conditarum uberiorem notationis formam prae se tulisse. Cum vero quaesiveris, quemadmodum hemerologia lapidibus incisa adhuc superstitia natales aedium sacrarum adnotent, facile tibi occurret fastos Venusinos et Caeretanos utramque adnotationis formam praebere, contra in fastis Praenestinis,[1] Amiterninis, Vallensibus nusquam aedium loca desiderari.

Fasti Venusini: Mai. 4 *Florae.* Mai. 14 *Marti Invict(o).* Mai. 15 *Mercur(io).* Mai. 21 *Vediovi.* Mai. 25 *Fortun(ae) Prim(igeniae) in col(le).* Iun. 1 *Iunoni Monet(ae).* Iun. 3 *Bellon(ae) in circ(o) Flam(inio).* Iun. 5 *Dio Fidio in colle* e. q. s.

Fasti Caeretani: Mart. 31 *Lunae.* April. 23 *Veneri.* Febr. 17 *Quirino in colle.* Mai. 25 *Fortunae p. p. R. Q, in colle Quirin(ali).*

Fasti Praenestini: Ian. 1 *[Aescu]lapio, Vediovi in insula.* Febr. 5 *Concordiae in arce.* Mart. 1 *Iun[o]ni Lucinae E[s]quiliis* e. q. s.

Fasti Amiternini: Iun. 19 *Minervae in Aventino.* Iun. 20 *Summano in circ(o) maxim(o).* e. q. s.

Quas hemerologiorum adnotationes cum Ovidianis comparanti vix dubium esse potest, quin poeta adnotationes

[1]) In fastis Praen. non nisi earum aedium loca desiderantur, quae ipso hemerologii tempore iam dirutae erant.

de aedibus liberae rei publicae aetate conditis in fastis vetustioribus Venusinorum et Caeretanorum similibus, adnotationes autem ad templa Augusti aetate dedicata et refecta spectantes in hemerologio recentiore Amiternini vel Praenestini simili legerit.

Quod ad templorum natalium delectum ab Ovidio in fastis propositum attinet, hae dedicationes aedium sacrarum desiderantur: prima dedicatio aedis Iovis Statoris in Palatio ad Ian. 13, natales aedium Concordiae in arce ad Febr. 5, Cereris Liberi Liberae ad circum maximum ad April. 19, Palis ad April. 21, Florae ad circum maximum ad April. 28, Martis Invicti ad Mai. 14. Natalis vetustior aedis Cereris Liberi Liberae, quem praeter Ovidium fasti Esquilini et Caeretani non praebent, ne in vetustiore quidem hemerologio ab Ovidio inspecto perscriptus esse potuit, cum hoc templum iam anno 723 = 31 igni dirutum esse constet, fastos autem vetustiores ab Ovidio usurpatos demum post a. 734 = 20 conceptos esse infra comprobaturus sim. Quod Ovidius natalem eiusdem aedis eodem die anni 17 p. C. a Tiberio refectae omisit, non mirum est, cum fasti Ovidiani certe ante hunc annum compositi sint. Natalem vetustiorem Iovis Statoris in Palatio et in fastis Praenestinis omissum, quem, quamquam hemerologiorum testimonio non constat, tamen in idus Ianuarias incidisse scimus,[1]) iam hemerologii vetustioris Ovidiani tempore abolitum fuisse vix crediderim, sed pro certo affirmari nequit. Idem valet de priore die natalicio Florae, qui ad April. 28 in fastis Ovidianis et Caeretanis desideratur, cum ex fastorum Praenestinorum adnotationis forma cognoscamus eo tempore, quo calendarium Praenestinum lapidibus incidebatur, hunc primarium Florae natalem iam abolitum fuisse. Quin autem natales aedium Concordiae in arce ad Febr. 5, Palis[2]) ad April. 21, Martis Invicti ad

[1]) Cf. Wissowa, Religion und Kultus der Römer p. 108. E. Aust, de aedib. sacris p. 45.

[2]) De Palis sacrificio cf. Wissowa l. c. p. 165. E. Aust l. c. p. 46.

diem Mai. 14 hemerologii scriptoris culpa aut poetae ipsius neglegentia in Ovidii fastis desiderentur, omnino dubitari nequit. Etenim natalis aedis Concordiae in arce sitae in fastis Praenestinis ad nonas Febr. (Febr. 5), Martis Invicti in fastis Venusinis ad diem Mai. 14 adscripti sunt. Ut vero Palis sacrificium et a hemerologio Caeretano absit e ratione hemerologii ab Ovidio adhibiti explicari potest.

Cum sacrificium Iovis Statoris (Ian. 13) in ferias Iovis, Palis in Palilia (April. 21) inciderent, fortasse in illo vetustiore hemerologio ab Ovidio inspecto, quod in natalibus indicandis partim aedium loca omisisse supra exposui, ad Ian. 13 dativus *Iovi*, ad April. 21 *Pali* adscriptus fuit, ita ut poeta discernere non posset, utrum illae adnotationes ad ferias publicas inlustrandas an ad templorum sacrificia pertinerent. Nam similia exempla hemerologia lapidibus incisa adhuc superstitia nobis praebent. Velut fasti Pinciani ad diem Aug. 23, quo Volcanalium feriae celebrabantur, tertium solum casum *Volcano*, fasti Tusculani ad idus Iunias (Iun. 13) Iovi sacras dativum *Iovi* adnotant nec diiudicari potest, utrum hae adnotationes pro *feriae Volcano* et *feriae Iovi*, quales feriarum explicationes in multis fastis occurrunt, scriptae sint, an pro templorum sacrificiis *Volcano in circo Flaminio* et *Iovi Invicto in Palatio.*[1])

At templorum post annum 738 u. c. Augusti imperatoris aetate dedicatorum et refectorum natalium ne unum quidem apud Ovidium desiderari constat.[2])

Quin igitur hemerologium vetustius ab Ovidio in

---

[1]) Cf. Wissowa, Realencyklopaedie VI p. 2022 sq.

[2]) Dedicationem aedis Magnae Matris in Palatio sitae ab Augusto refectae poeta cum paulo ante ad primam Megalesium diem commemoravisset, ad April. 10 suo iure omittere potuit (fast. IV 347).

usum vocatum minorem natalium delectum praebuerit, quam fasti recentiores ab eodem poeta inspecti, vix quisquam in dubitationem vocabit, cum etiam in hemerologiis lapidibus incisis idem accidisse observetur. Omnium fastorum parcissimi in natalibus indicandis sunt fasti Maffeiani, qui nullum nisi natalem aedis Mentis in Capitolio conlocatae ad Iun. 8 adscribunt, his paulo pleniorem natalium delectum praebent fasti Tusculani, multo maiorem sacrificiorum numerum tradunt fasti Venusini. Inter omnia denique hemerologia natalibus templorum indicandis excellunt fasti Praenestini et Amiternini. Habemus ergo aliud argumentum, quo Ovidium diversa hemerologia in usum vocasse ut credamus adducimur.

Iam restat, ut causas indagemus, cur Ovidius in templorum natalibus indicandis ab hemerologiis superstitibus discrepet. Iovis Invicti natalem a Nasone ad idus Iun. (Iun. 13) traditum et ex hemerologio vetustiore desumptum in fastis Venusinis non adscriptum invenis, ita ut inde recte conici liceat, hunc diem natalicium fastorum Venusinorum aetate iam abolitum fuisse, praesertim cum iidem fasti reliquos natales templorum adcurate adnotent. Dedicationes secundae aedium Bonae deae sub saxo (Mai. 1), Martis extra portam Capenam (Iun. 1), Tempestatum (Iun. 1), Fortunae in foro boario (Iun. 11), Concordiae in porticu Liviae (Iun. 11), Iovis Statoris in Palatio (Iun. 27), Herculis Musarum in circo Flaminio (Iun. 30) ab Ovidio ex fastis iunioribus depromptae ob eam rem in fastis Venusinis et Esquilinis omittuntur, quod ipso horum fastorum tempore natales aboliti neque iam hae aedes sacrae ab Augusto refectae erant.

Cum vero Verrii quoque fasti natales posteriores Iuturnae[1]) (ad diem Ian. 11), Castoris ad

---

[1]) Wintheri coniectura l. c. p. 13 natalem Iuturnae in fastis Praen. exstitisse, sed postea evanuisse omni fundamento caret.

forum[1]) (ad Ian. 27), Concordiae ad forum[2]) (ad Ian. 16) ab Ovidio commemoratos praetermittant, inde efficitur Nasonem omnes recentiores templorum natales ex hemerologio quodam Praenestino recentiore desumpsisse. Ad eosdem fastos recentiores sacrum Iani, Concordiae, Salutis, Pacis a. 10 a. C. institutum, quod apud Ovidium solum ad Mart. 30 occurrit (fast. III 881 sq.), sine dubio revocandum est.

In feriis ab Ovidio memoratis cum hemerologiis superstitibus comparandis nil nisi eas ferias respicio, quae sub Caesare dictatore et Augusto imperatore fastis adiectae sunt, feriis anni Romanorum vetustissimi, quae omnes in fastis et lapidibus incisis et Ovidianis eadem fere ratione indicantur, neglectis, cum ad rem a nobis tractandam nihil ex eis lucis deveniat. Ferias autem a Caesare inde dictatore et deinde sub imperatoribus in fastos relatas, quarum tabulam exhibet p. 19, duobus diversis modis in hemerologiis adnotari, si diligenter ea perlegeris, non te praeteribit.[3]) Velut fasti Praenestini et Caeretani hanc uberiorem adnotationis formam praebent:

Fasti Praen. Ian. 30 *Feriae ex s. c., quo[d eo] die ara Pacis Augusta[e in campo] Martio dedicata est Druso et Crispino co[s].* Febr. 5 *Feriae ex s. c., quod eo die imperator Caesar Augustus pontifex max. . . . . a senatu populoque Romano pater patriae appellatus.* e. q. s.

Fasti Caeret. Mart. 17 *Fer(iae) q(uod) e(o) d(ie) C. Caes(ar) vic(it) in Hisp(ania) ult(eriore).* Mart. 27 *Fer(iae) quod eo die C. Caesar vic(it) Alexand(reae)* e. q. s.

Contra fasti Maffeiani et Antiates nil nisi rem ipsam tradunt, dies vero feriatos esse non commemorant:

[1]) Ovidium vv. I 705—708 ad aedem Castoris instauratam respicere, ipse satis manifesto indicat vv. 707 sq.

Fratribus illa deis fratres de gente deorum
circa Iuturnae composuere lacus.

Falso igitur Wintherus l. c. p. 13 restitutionem ab Ovidio memoratam ad primariam dedicationem, quae in Cal. Praen. exstat, rettulit.

[2]) Adnotatio in fastis Praen. ad hunc diem tradita secunda manu exarata est.

[3]) Cf. Wissowa, Realencyklopaedie VI p. 2022.

Feriae publicae

	Fasti Ovidiani	Venusini	Esquilini	Caeretani	Maffeiani	Praenestini	Vaticani	Amiternini
Ian. 29	—				—	feriae ignotae		
„ 30	Ara Pacis dedicata			Ara Pacis dedicata	—	Ara Pacis dedicata		
Febr. 5	Augustus pater patriae				—	Augustus pater patriae		
Mart. 6	Augustus pontifex maximus				Augustus pontifex maximus	Augustus pontifex maximus		
„ 10	—				—	—	Tiberius pontifex maximus	
„ 17	—			Victoria apud Mundam reportata	—		—	
„ 27	—			Alexandria capta	Alexandria capta			
April. 6	Victoria apud Thapsum reportata				—	Victoria apud Thapsum reportata		
„ 28	Aedicula Vestae in Palatio dedicata			Aedicula Vestae in Palatio dedicata	—	Aedicula Vestae in Palatio dedicata		
Mai. 12	Aedicula Martis in Capitolio dedicata				—			
„ 26	—	—	—	—	—			Triumphus Germanici
„ 28	—	—	—	—	—			Triumphus Drusi
Iun. 26	—	—	—		—			

Fasti Maffeiani Mart. 6 *Hoc die Caes(ar) pontif(ex) maxim(us) factus est.* Mart. 27 *Hoc die Caesar Alexand(ream) recepit.* e. q. s.

Fasti Antiates Iul. 4 *[Ara P]acis August(ae) [c]onstitut(a).* Iul. 12 *Divi Iul(i) natalis.* Aug. 9 *Divus Iulius Phars(ali) vicit.* e. q. s.

Quae adnotationum formae cum Nasonis versibus, qui ad ferias post a. 44 a. C. in fastos receptas pertinent, conferendae sunt, ut diiudicetur, quales feriarum adnotationes Ovidius in fontibus legerit.

1) Fastorum vv. IV 377 sqq. ad April. 6:

> Tertia lux (memini) ludis erat, ac mihi quidam
> spectanti senior continuusque loco
> 'Haec' ait 'illa dies, Libycis qua Caesar in oris
> perfida magnanimi contudit arma Iubae'

cum diem April. 6 propter hanc Caesaris victoriam feriatum esse non tradant, certe ad adnotationem non fastorum Praenestinorum, sed Maffeianorum similem referendi sunt, scilicet *Hoc die C. Caesar in Africa Iubam vicit.*

2) Idem iudicandum esse censeo de vv. V 549 sqq. ad Mai. 12

> Fallor, an arma sonant? non fallimur, arma sonabant:
> Mars venit et veniens bellica signa dedit.
> Ultor ad ipse suos caelo descendit honores
> templaque in Augusto conspicienda foro,

quos poeta falso ad aedem Martis Ultoris in foro Augusti kalendis Aug. anni 752 = 2 dedicatam rettulit, cum hoc die a. 734 = 20 aediculam Martis in Capitolio sitam ab Augusto consecratam esse aliis testimoniis constet.[1] Quem in errorem poeta certe non incidisset, si similem adnotationis formam, qualem fasti Praenestini aliique praebent

[1] Cf. Mommsen C. I. L. I² p. 318. Wissowa, Religion und Kultus der Römer p. 133. 378. Jordan, Topographie der Stadt Rom I 2, 443 sq.

in fonte legisset, scilicet *Feriae ex s. c., quod eo die aedicula Martis in Capitolio dedicata est.* Sed poetae error nostro quidem arbitrio aliter explicari non potest, nisi ut Ovidium hanc fere breviorem adnotationem *Hoc die aedicula Martis dedicata est* vidisse statuamus.

In omnibus vero reliquis feriis, quae Augusti imperatoris aetate institutae sunt, indicandis Ovidius uberiorem adnotationis formam, quae in fastis Caeretanis, Praenestinis, Vaticanis, Amiterninis occurrit, adcurate versibus circumscripsit dies feriatos esse monens.

1) Fast. I 709 ad Ian. 30

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aram.

I 719 sqq.

> Tura, sacerdotes, pacalibus addite flammis,
> albaque percussa victima fronte cadat.
> utque domus, quae praestat eam, cum pace perennet,
> ad pia propensos vota rogate deos.

Cf. fasti Praen. ad Ian. 30:

Feriae ex s. c., quo[d eo] die ara Pacis Augusta[e in campo] Martio dedicata est.

2) Fast. II 119 sqq. ad Febr. 5

> Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus Achilles,
> vellem, Maeonide, pectus inesse tuum,
> dum canimus sacras alterno pectine nonas:
> maximus hic fastis accumulator honos . . . .
> Sancte pater patriae, tibi plebs, tibi curia nomen
> hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen, eques.

Cf. fasti Praen. ad Febr. 5:

Feriae ex s.c., quod eo die imperator Caesar Augustus pontifex maximus trib. potest. XXI cos. XIII a senatu populoque Romano pater patriae appellatus.

3) Fast. III 415 sqq. ad Mart. 6

Sextus ubi Oceano clivosum scandit Olympum
 Phoebus et alatis aethera carpit equis,
quisquis ades castaeque colis penetralia Vestae,
 gratare Iliacis turaque pone focis.
Caesaris innumeris, quos maluit ille mereri,
 accessit titulis pontificalis honor.

Cf. fasti Praen. ad Mart. 6:

Fer[iae ex s. c., quod eo die] imp. Caesar August. pont. m[axim. factus est Quiri]nio et Valgio cos.

4) Fast. IV 949 sqq. ad April. 28

Aufer Vesta diem! cognati Vesta recepta est
 limine. sic iusti constituere patres.
Phoebus habet partem, Vestae pars altera cessit,
 quod superest illis, tertius ipse tenet.

Cf. fasti Praen. ad April. 28:

Feriae ex s. c., quod eo die [aedicul]a et [ara] Vestae in domu imp. Caesaris Augu[sti po]ntif. ma[ximi] dedicatast Quirinio et Valgio cos.

Quod igitur feriarum adnotationes ab Ovidio lectae tantopere inter se differunt, inde nostra sententia de duobus diversis fastorum exemplaribus a poeta inspectis, quam supra ex templorum natalibus effecimus, confirmatur.

Explicationes et ad victoriam apud Thapsum reportatam, quae a. 710 = 44 in fastos recepta est, et ad aediculam Martis in Capitolio a. 734 = 20 dedicatam spectantes ex fastis vetustioribus desumptas esse, quattuor vero reliquas feriarum adnotationes de Augusto pontifice maximo facto (742 = 12), de dedicatione aediculae Vestae in Palatio (742 = 12), de ara Pacis Augustae dedicata (745 = 9), de Augusto patre patriae appellato (752 = 2) in hemerologio recentiore ab Ovidio usurpato adpictas fuisse statuamus necesse est. Feriarum publicarum sub Caesare dictatore et Augusto imperatore in fastos publicos p. R. receptarum delectum, quem fasti Ovidiani praebent et hemerologia

lapidibus incisa adnotant, inter se comparanti facile occurret Ovidium has quattuor feriarum adnotationes in hemerologiis superstitibus traditas omisisse fastis publicis certe prius adscriptas, quam fastorum exemplaria ab Ovidio in usum vocata concepta sunt: adnotationem in fastis Praenestinis ad Ian. 29 traditam, quae quid in singulis rebus significet ignoramus, ferias propter victorias, quae apud Mundam et apud Alexandriam reportatae sunt, institutas et anno 44 a. C. fastis adscriptas, adnotationem ad Tiberium ab Augusto adoptatum pertinentem anno 4 p. C. in fastos receptam. Quas ferias publicas poeta aut consulto neglexit aut neglegentia praetermisit aut ob eam rem commemorare non poterat, quod in hemerologiis non erant perscriptae.

Praeter eas, de quibus supra diximus, adnotationes natalium templorum et feriarum explanatorias imperatorum aetate memorabilia quaedam ad imperatoris imprimis domum pertinentia coepta sunt fastis inferri, quae in tabula p. 24 proponuntur. Quarum adnotationum duas tantum cum solis fastis Praenestinis comparare licet, cum in fastis antiquioribus non iam exstent, recentiora autem hemerologia ad hos dies non servata sint. Ad idus Ian. (Ian. 13) (fast. I 587 sqq.) poeta tradit Caesari Octaviano et cognomen Augusto et coronam quernam pro potestate senatui populoque Romano reddita decretam esse. A fastis Praenestinis eadem adnotantibus ea re tantum differt, ut id, quod Verrii explicatio ad Ian. 16 tradit, Octavianum nomen Augusti accepisse, ad idus Ianuarias (Ian. 13) rettulerit. Cur poeta adnotationem ad Ian. 13 adscriptam cum ea, quam paulo infra ad Ian. 16 in fonte legit, coniunxerit, iam Wintherus [1]) recte intellexit res his adnotationibus traditas artissime inter se coniunctas esse monens. Addere poterat Augustum imperatorem ipsum in Monumento Ancyrano 6, 16 sqq. has res eodem ordine, quo Ovidium enumerare: *Quo pro merito meo senatu[s consulto Augustus appe]llatus sum et laureis postes aedium mearum v[estiti publice coronaq]ue civica super ianuam*

[1]) H. Winther l. c. p. 19.

Reliquae fastorum adnotationes

	Fasti Ovidiani	Praenestini
Ian. 7	—	Imperator Caesar Augustus VII vir epulonum creatus est.
„ 12	—	Debellavit imperator Caesar Augustus. Augustus Ti. Caesarem es (?)
„ 13	—	Luta[tius?] ... id in ... non ... al ... (res ignota)
„ 13	Corona querna Octaviano cognomen Augusto datum est.	Corona querna
„ 16	—	Octaviano cognomen Augusto datum est.
„ 17	—	Pontifices augures XV viri etc. numini Augusti victumas immolant.
„ 17	—	Felicitati, quod Ti. Caesar aram Augusto patri dedicavit.
Mart. 15	Mors C. Iulii Caesaris	
April. 14	Pugna ad forum Gallorum commissa	
„ 16	Octaviano praenomen Imperatori datum est.	

meam fixa est. Nihilominus autem cavendum est, ne propter hunc concentum fortuitum, qui inter Ovidium et Verrii fastos intercedit, cum Winthero has Ovidii fastorum adnotationes ex Verrii fastis petitas esse statuamus, cum similes adscriptiones etiam in aliis hemerologiis, ut in fastis Antiatibus, occurrant. Huc accedit, quod Ovidius quinque alias adnotationes ad imperatorem Augustum pertinentes, quas fasti Praenestini ad dies Ian. 7. 12. 13 16. 17 adnotant, plane neglexit, ita ut Verrius plures adnotationes fastis adiunxisse videatur, quam in hemerologiis ab Ovidio usurpatis exstiterunt. Wintherus autem, qui hanc discrepantiam eo tollere conatur,[1] ut has explicationes

[1]) H. Winther l. c. p. 15.

ob eam rem consulto a poeta neglectas esse coniciat, quod primus fastorum liber non ad Augustum, sed ad Germanicum scriptus sit, facile adnotationibus ad Ian. 13 traditis refellitur, quae ad eundem imperatorem Augustum spectant.

Explicationes, quae ad pugnam apud forum Gallorum commissam (April. 14) et C. Iulii Caesaris mortem (Mart. 15) pertinent, fortasse ex fastis vetustioribus fluxerunt, quamquam quo anno in hemerologia recepta sint ignotum est. Reliquae autem adnotationes, cum certe Augusti demum aetate fastis adscriptae sint, ex eodem recentiore hemerologio derivandae sunt, in quo poetam omnes templorum natales et ferias publicas Augusti aetate fastis adscriptas invenisse supra exposuimus. Num vero Romanorum victoriae et clades, quae ad tempora antiquiora spectant, ab Ovidio ad dies Iun. 9. 11. 22. 23 indicatae ex hemerologiis fluxerint, plane incertum est, cum liberae rei publicae aetate similium adnotationum unam tantum in fastos relatam esse compertum habeamus, dico diem Alliensem, qui in fastis Amiterninis et Antiatibus ad Iul. 18 legitur, quattuor autem Ovidii adnotationum neque in hemerologiis neque apud fastorum scriptores ulla mentio fiat.

Postquam supra Ovidium fastorum adnotationes liberae rei publicae aetate in fastos receptas ex hemerologio vetustiore, imperatoria aetate fastis adscriptas e calendario recentiore desumpsisse ostendimus, iam relinquitur, ut hemerologiorum aetatem adcuratius definiamus. Quod ad calendarium vetustius attinet, in eo perscriptae erant feriae propter victoriam apud Thapsum reportatam die April. 6 anni 710 = 44 institutae et dedicatio aediculae Martis in Capitolio sitae a. 734 = 20 ad Mai. 12 in fastos relata. Ergo hemerologium antiquius ab Ovidio in usum vocatum post annum 734 = 20 conceptum est. Cum vero in isdem fastis natales vetusti aedium Minervae in Aventino ad Mart. 19, Larum in sacra via ad Mai. 1, Quirini in colle ad Iun. 29 adscripti fuerint, inde recte

efficias harum aedium instaurationes in illo hemerologio non exstitisse. Aedes Quirini in colle anno 738 = 16, Minervae in Aventino post annum 738 = 16 [1]), Larum Publicorum in sacra via intra 738 et 756 [2]) refectae sunt. Fasti igitur, cum vetustum sacrificium Quirini ad Iun. 29 commemoraverint, certe ante annum 738 = 16, quo aedes Quirini refecta est, concepti sunt. Simillima ratione aetas hemerologii recentioris ab Ovidio usurpati determinatur. Quod cum natales aedium Iuturnae p. a. 759 = 6 p. C., Castoris a. 759 = 6 p. C., Concordiae ad forum a. 763 = 10 p. C. in fastos receptos praebuerit, certe post annum 763 = 10 p. C. compositum est. Ex Verrii autem fastis, quos intra annos 4 p. C. — 6 p. C. conceptos esse supra exposuimus, Ovidius fastorum adnotationes non desumpsit.

Caput II.

1.

Fastorum commentarium a Verrio Flacco clarissimo Augusti aetatis grammatico compositum esse luculentis argumentis comprobari potest, etsi neque librariorum cura nobis traditus est neque apud fastorum scriptores citatur. Exstat enim inter hemerologia lapidibus incisa unum exemplum, fastos dico Praenestinos, quibus praeter ea, quae maioribus litteris exarata in omnibus calendariis leguntur, non solum adnotationes ad ferias, sacrificia similiaque spectantes adscriptae sunt, quae magna ex parte in aliis quoque fastis inveniuntur, sed etiam harum adnotationum explicationes doctae, quae in his solis fastis occurrunt. Quorum fastorum reliquias satis amplas ad nos pervenisse satis notum est. Harum enim tabularum,

[1]) Cf. Wissowa, Ges. Abhandl. p. 276.
[2]) Cf. Wissowa l. c. p. 277.

postquam primus Fulvius Ursinus a. 1577 de mense Februario particulam edidit Praeneste inventam, quae quo deinde pervenerit ignoratur, prodierunt ibidem a. 1771 complures reliquiae mensium Ianuarii, Martii, Aprilis, Decembris. Primus haec frustula edidit Petrus Franciscus Fogginius libro, qui titulum exhibet *Fastorum anni Romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae ex marmorearum tabularum fragmentis Praeneste nuper effossis collectae et illustratae. Accedunt Verrii Flacci operum fragmenta omnia quae exstant ac fasti Romani singulorum mensium ex hactenus repertis calendariis marmoreis inter se conlatis expressi* (Romae 1779). Postremo autem fasti Praenestini a Theodoro Mommseno in primo volumine C. I. L. (ed. 2) optime descripti et restituti et commentariis diurnis ingeniose inlustrati sunt. Huc accedunt pauca frustula, quae nuperrime Praeneste inventa in Notizie degli scavi 1897, 41. 1904, 393 sqq. edita invenis.

Hemerologium in foro Praenestino a Verrio Flacco publicatum esse Suetonius tradit de grammat. et rhetor. c. 17 *Statuam habet Praeneste* (sc. Verrius Flaccus) *in inferiore fori parte circa hemicyclium, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicarat.* Cuius Suetonii testimonii non ignarus Fogginius marmorum fastis inscriptorum fragmenta re vera Verrii fastos esse suspicatus est. Sed cum locus ille, ubi fragmenta Fogginiana prodierunt, ab oppido antiquo monti imposito circa XX stadia abesset, Fogginii sententia ad verba Suetonii, qui hemicyclium non nimis longe a foro Praenestino afuisse testatur, vix quadrare videbatur, quamquam Mommsenus in priore editione primi voluminis corporis inscriptionum Latinarum [1]), memoriam Suetonianam arte interpretandi ad fragmenta reperta referre studuit. Effossiones demum a. 1864 denuo eodem loco, quo saeculo superiore fastorum fragmenta reperta erant, institutae demonstraverunt ta-

[1]) C. I. L. I p. 311.

bulas illas marmoreas non loco antiquo repertas, sed ex foro Praenestino postea in illum locum asportatas esse, ita ut hodie omnino dubitari nequeat, quin Fasti a Fogginio in lucem editi ipsi Verriani sint.[1] Ottonis Hirschfeldi autem sententia[2], qui Tranquilli verba non ad fastos Praenestinos, sed ad consulum fastos Romae a Verrio Flacco publicatos pertinere probare conatus est, iam nemini adridet, postquam eam iure refutavit Ioannes Vahlenus.[3])

Iam vero Mommsenus luculentis argumentis nos edocuit fastos Praenestinos e commentario Verrii Flacci, quem antea de feriis sacrisque composuerat, excerptos esse.[4]) Quam opinionem protulit vir doctissimus nisus et his Macrobii locis Sat. I 10, 7: *Duodecimo vero* (Kal. Ian.) *feriae sunt divae Angeroniae, cui pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt. quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac sollicitudines animorum propitiata depellat . . . . . Iulius Modestus ideo sacrificari huic deae dicit, quod populus Romanus morbo qui angina dicitur praemisso voto sit liberatus* et Sat. I 12, 14: *Ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum est, quasi Aperilem, sicut apud Athenienses* ἀνθεστηριών *idem mensis vocatur ab eo quod hoc tempore cuncta florescant. non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum, ut matronae Veneri sacrum facerent. cuius rei causam, quia huic loco non convenit, praetereundum est*, quos e Verrii fastorum commentario depromptos esse censuit, et nonnullis fastorum Praenestinorum explicationibus (ad Mart. 23 et ad April. 1), quas ita comparatas esse intellexit, ut non a Verrio ipso scriptas, sed male ex scriptis eius excerptas esse sumendum sit.[5]) Etsi illos Macrobii locos non e Verrii fastorum

1) Cf. Mommsen, C. I. L. I² p. 230. Vahlen, Opusc. academ. I 44 sqq.
2) Hermae vol. IX p. 103 sqq.
3) Vahlen l. c. p. 42 sqq.
4) C. I. L. I² p. 285.
5) Cf. Mommsen C. I. L. I² p. 313 et 314.

libro ipso, sed ex eiusdem auctoris libris de verborum significatu, ubi certe eandem rem protulit[1]), fluxisse verisimillimum est, cum a Macrobio in his operis partibus Suetonium compilatum esse apertum sit[2]), qui praeter Varronem Verrii libros de verborum significatu in usum convertit, tamen fortasse ex fastis in libros de significatione verborum transsumpti sunt, ita ut ad Mommseni coniecturam confirmandam nihilominus alicuius momenti sint. Henrici Willers igitur opinioni[3]), qui illa de Suetonio Macrobii auctore sententia Mommsenum refellere conatur, non est, quod faveat. Iam vero hunc Verrii fastorum librum fontem esse Ovidiani carminis primus coniecit Hermannus Winther, quippe qui magnum inter Verrii et Ovidii doctrinam concentum detexerit. Quae sententia a Winthero prolata, etsi plerorumque virorum doctorum plausum tulit[4]), non recto talo stare mihi videtur, cum Wintherus sine dubio huic fonti nimis multum tribuerit Verrii fastos solum Ovidii fontem esse statuens aliis auctoribus exclusis.[5]) Multas enim Festi Paulique glossas e Verrii libris de verborum significatione excerptas a fastis certe alienas, quae cum Ovidio quodam-

1) Cf. H. Willers, De Verrio Flacco glossarum interprete disputatio critica (Halis 1898) p. 38.
2) Cf. G. Wissowa, De Macrobii Saturnaliorum fontibus capita tria, diss. Vratisl. 1880 p. 22—26.
3) H. Willers l. c. p. 38 sqq.
4) F. Leo, Deutsche Literaturzeitung 1887 p. 1806. M. Schanz, Röm. Literaturgeschichte II 1 p. 215. Th. Litt, De Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris (Bonnae 1904). Contra H. Peter, Ovids Fasten I p. 17 adn. 1 et H. Willemsen, De Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis (Bonnae 1906) p. 27 sqq. Wintheri coniecturam plane repudiaverunt. Cf. etiam P. Wessner, Berliner philol. Wochenschrift 1907 No. 3 p. 70 sqq. et No. 4 p. 101 sqq.
5) Cf. R. Ehwald, Jahresbericht über die Fortschritte der klassischen Altertumswissenschaft XLIII p. 168 sqq. G. Wissowa, Analecta Romana topographica l. c. p. 271. E. Samter, Quaestiones Varronianae, diss. Berol. 1891 p. 46.

modo consentirent, illi deperdito fastorum libro quondam inhaesisse sibi persuasit fastorum doctrina apud alios scriptores tradita omnino in comparationem non vocata. Quod si ita est, priusquam quomodo Ovidius Verrii fastorum librum exscripserit inquiramus, aliam quaestionem absolvamus necesse est, quaenam Verrius Flaccus eadem vel simili ratione protulerit in libris de significatione verborum et in fastis. Quali et quanta doctrina Verrii fasti adornati fuerint quaerenti respondent fasti Praenestini, in quibus singulis mensibus mensium nominum veriloquia praemissa, singulis diebus explicationes doctae ad dierum nomina notasque, ad ferias publicas, ad sacrificia pertinentes adiectae sunt. Quae omnia quo modo Verrius in libris de fastis et de verborum significatione explicaverit nunc examinandum est.

De mensium nominibus explanationes Verrium in libris de fastis et de verborum significatione similiter proposuisse non possumus non animadvertere, cum Verrii veriloquia cum Fulvii Nobilioris, Iunii Gracchani, Cincii, Varronis conferimus.

Quibus veriloquiis, quae p. 31 exhibentur, inter se comparatis facile adparet Verrium in fastis et apud Festum eandem explicandi rationem secutum esse, utpote qui omnia mensium nomina a dis derivet et aliud veriloquium addat, cum Fulvius, Iunius, Cincius alia nomina a deorum nominibus ducenda, alia aliter explicanda esse censeant, Varro horum grammaticorum explicationes partim acceperit partim reiecerit. Itaque inde colligere licet Verrium eadem veriloquia protulisse in fastis et in libris de significatu verborum. Neque aliter iudicandum esse censeo de dierum notis, quas ipsas apud Festum allatas reperis, cum alii fastorum scriptores, velut Varro d. l. l. VI 30, non notas, sed verba explicent. Has igitur notas N, NP, Q·R·C·F earumque explicationes ex fastis Verrianis in libros de significatu verborum transsumptas esse mea quidem sententia litterae ipsae indicant. Sed Verrium nonnullas quoque res, quae cum fastorum doctrina artissime conexae sunt, in fastis strictim commemorasse, in libris

Verrius Flaccus	Fulvius et Iunius (Censor. d. d. n. 22, 9. Varro d. l. l. VI 33 sq.)	Cincius (Macrob. I, 12, 12. 18. 30)	Varro (d. l. l. VI 33—34. Censor. d. d. n. 22, 10. Macrob. I 12, 13)
a) Fasti Praenestini:			
Ianuarius a Iano	Ianuarius a Iano		Ianuarius a Iano
Martius a Latinorum Marte vel quod Marti hoc mense sacrificatur	Martius a Marte patre Romuli	Martius a Marte deo bellandi	Martius non a Marte patre Romuli, sed a deo bellandi
Aprilis a Venere vel ab aperiendo	Aprilis a Venere matre Romuli	Aprilis ab aperiendo	Aprilis non ab Aphrodite, sed ab aperiendo
b) Festus:			
p. 85 Februarius a februis vel a Iunone februata	Februarius a dis inferis		Februarius non a dis inferis, sed a februo
p. 134 Maius a maioribus vel a Maia	Maius a maioribus	Maius a Maia uxore Volcani	Maius a maioribus[1])
p. 134 Iunius a iunioribus p. 103 Iunius a Iunone	Iunius a iunioribus	Iunius a Iunone	Iunius a iunioribus

de significatione verborum multo fusius tractavisse, hoc exemplum demonstrat. Cum in fastis Praen. ad dies Ian. 2. 6. 14 nil nisi hos dies religiosos vel vitiosos esse adnotatum sit, Gellius V 17 nobis tradidit Verrium in libris de significatione verborum de eadem re tam copiosam explicationem protulisse, ut in fastis, quippe qui ad singulos dies interpretationibus adornati fuerint, nullo modo exstitisse possit. Quod ad feriarum et sacrificiorum

[1]) Th. Litt l. c. p. 10 sq. nisus loco Varroniano d. l. l. VI 33: *tertius a maioribus Maius, quartus a iunioribus Iunius dictus* recte monuit Censorinum 22, 10 Varroni falso nova mensium Maii et Iunii veriloquia vindicare, quae re vera Verrii essent, quod argumentum frustra diluere conantur H. Willemsen l. c. p. 21 sq. et A. Hahn, de Censorini fontibus, diss. Ien. 1905 p. 22.

interpretationes a Verrio in opere de significatione verborum prolatas et apud Festum traditas attinet, Verrium in ea re praeter suum ipsius fastorum commentarium alium fontem adhibuisse facile probatur. Nam primum quidem Festi Quinquatruum interpretatio p. 254 non solum cum fastis Praenestinis adcurate congruit, sed etiam ipsa ita comparata est, ut dubium esse non possit, quin e fastorum commentario profecta sit. Ad Quinquatruum explanationem haec verba adiecta sunt: *Minervae autem dicatum eum diem existimant, quod eo die aedis eius in Aventino consecrata est.* Quae cum nil contineant, quo verbum Quinquatrus explanetur, explicari non possunt nisi ita, ut Verrium glossam ad Quinquatrus spectantem ex fastis desumpsisse ponamus, in quibus templum Minervae Aventinensis Quinquatribus dedicatum esse ad hunc diem adnotatum erat.

Sed in libris de significatione verborum Verrius de his feriis et sacris non uno, sed compluribus locis egit:

Agonium p. 10, 5 — Agonium p. 10, 8.
Parilibus p. 237, 22 – Parilia festa p. 245, 34 – Pales p. 222, 12.
Rustica vinalia p. 265, 28 — [Rustica vinalia] p. 289, 10.
Piscatorii ludi p. 210, 33 — Piscatorii ludi p. 238, 23.
Argei p. 15, 12. 75, 7. 334, 16.

Quae feriarum explicationes non solum diversis operis locis leguntur, sed etiam ipsae inter se dissentiunt, ut his duobus exemplis inlustratur: Paul. p. 10, 5 *Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat; hostiam enim antiqui agoniam vocabant. Agonium etiam putabant deum dici praesidentem rebus agendis; Agonalia eius festivitatem. Sive quia agones dicebant montes, Agonia sacrificia, quae fiebant in monte; hinc Romae mons Quirinalis Agonus et Collina porta Agonensis*; quibuscum conferantur p. 10, 8 *Agonium id est ludum ob hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo; cuius festa Agonalia dicebantur.* Secunda interpretatio a prima eo differt, quod non ad ferias, sed verbum *agonii* explicandum scripta est.

Idem fere iudicandum esse censeo de his locis, qui ad Parilia spectant, quorum alter ex fastis fluxisse videtur, alter autem cum Parilium explicatione fortasse omnino non cohaeret: Paul. p. 222,12 *Pales dicebatur dea pastorum, cuius festa Palilia dicebantur; vel, ut alii volunt, dicta Parilia, quod pro partu pecoris eidem sacra fiebant;* cf. p. 237, 22 *Parilibus urbem condidit Romulus, quem diem festum praecipue habebant iuniores.*

Quae discordia eo ducit, ut cum Henrico Willers[1]) has glossas e diversis fontibus fluxisse statuamus. Quantopere autem idem vir doctus erraverit, cum Verrium proprio in fastos commentario in libris de significatione verborum usum esse omnino negaret, hac tota quaestione probatum esse spero. Immo veri admodum simile mihi videtur esse Verrium Flaccum in illo opere, quo universam aetatis Augusti doctrinam adumbravit, et ex propriis fastis et ex aliis fontibus hausisse. Denique glossae cum fastorum doctrina quodammodo conexae apud Festum leguntur, quae certe e Verrii fastis non fluxerunt, dico omnes eas, quae pertinent ad ferias conceptivas, ad antiquitatem Romanam, ad deorum naturam similiaque.[2]) Cum autem praeter Verrium Flaccum etiam Varro eadem fere aetate in antiquitatum libris fusius fastorum doctrinam protulerit, cuius non pauca vestigia hodie quoque praecipue in libris de ingua Latina inveniuntur, utriusque auctoris explicationes adcuratissime cum Ovidio conferendae sunt.

---

[1]) H. Willers l. c. p. 41; cf. H. Willemsen l. c. p. 27.

[2]) Si de ea ratione, quae inter Verrii fastos et libros de significatione verborum intercedit, recte disputavi, Littii (De Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris, Mus. Rhen. LIX 603 sqq.) argumentationis fundamentum corruit, qui nisus fastorum Praenestinorum fragmentis, Festi glossis, fastis Ovidianis Verrii fastorum opus a fastorum scriptoribus compilatum esse contendit.

2 a.

Atque ut primum quidem ad Ovidii mensium veriloquia transeamus, id in propatulo est Ovidium et Verrium in fastis simillima ratione singulis mensibus nominum etymologias praemisisse, qua in re quatenus Ovidius Verrii fastos adhibuerit quaerendum est.

Ianuarii nomen a Iano deo deducendum esse omnes fastorum scriptores consentiunt. De Februarii nomine duplicem causam Ovidius II 31—34 profert, Februarium appellari a februis aut a placatis sepulcris. Etsi Verrius in Festi glossa p. 85 alteram solam Ovidii sententiam Februarium a februis appellari praebet et praeterea idem nomen a Iunone februata derivat, quod veriloquium Naso reticet, tamen Ovidium e Verrio hausisse constat, cum, ut Wintherus l. c. p. 44 recte observavit, auctores uno loco ad verbum paene inter se concordent:

Fast. II 29 sq.

Denique quodcumque est, quo corpora nostra piantur,
hoc apud intonsos nomen habebat avos.

Paul. p. 85: Quaecumque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur.

Quo verborum concentu prohibemur, quominus Nasonem illam Februarii explicationem e Varrone, qui eandem sententiam attulit (Varro d. l. l. VI 34. Censor. 22, 13), sumpsisse credamus. Ovidium autem februorum exempla vv. 19—28 prolata in Verrii fastis invenisse Wintherus l. c. p. 44 recte ex verbis illis *quaecumque denique* conclusit. Alterum veriloquium, Februarium a placatis sepulcris derivari, iam alio versu I 43 indicatum, quod Fulvius et Iunius protulerunt, ad Varronem redire videtur (cf. Varro d. l. l. VI 34).

Martium mensem a Marte patre Romuli nominatum esse Ovidius docet in versibus III 73—77, quos Romulum loquentem facit. Hanc autem opinionem protulerunt

Fulvius et Iunius, fastorum scriptores, ut Censorinus d. d. n. 22, 9 nobis tradit, non Verrius in tabulis Praenestinis. Quam Fulvii et Iunii originationem Ovidium in Varronis antiquitatum humanarum libris legisse ut arbitrer eo invitor, quod Censorinus d. d. n. 22, 11 Varronem hoc veriloquium repudiasse tradit et Varro ipse d. l. l. VI 33—34 in Aprilis et Februarii nominibus explicandis Fulvii et Iunii sententias praebet. Nostra autem de Varrone Ovidii auctore opinatio mirum quantum eo fulcitur, quod alterum Nasonis Martii mensis veriloquium, quod exstat in vv. III 79 sqq. cum Varrone ipso conspirat (cf. Censor. d. d. n. 22, 11). Apud utrumque enim auctorem Martii nomen a Latinorum Marte deo bellandi appellari legis. In reliquis autem mensium nominibus explanandis Ovidium e solo Verrio pendere evincitur. Atque in Aprilis nomine expediendo Ovidium cum Verrio consonare, a Varrone (cf. Varro d. l. l. VI 33. Censor. d. d. n. 22, 11. Macrob. Sat. I 12, 13) discedere primo obtutu cognoscitur. Eadem enim veriloquia, Aprilem a Venere matre et ab aperiendo nominari, et in tabulis Praenestinis et apud Ovidium IV 61—132 leguntur, cum Varronem Aprilis veriloquium a poeta im primis celebratum repudiavisse sciamus. A Verrio autem, qui utri veriloquio ipse plaudat non indicat, Ovidius ea tantum re discrepat, quod Aprilem a Venere, non ab aperiendo ducendum esse contendit. Prior vero Verrii opinio ob eam causam poetae magis adridebat, quod in vv. IV 91—132 Venerem summis laudibus efferre sibi proposuit. Sed ne ea quidem, quae Verrius ad alteram originationem inlustrandam dixit, hunc mensem fruges flores animaliaque ac maria et terras aperire, neglexit, sed ad Venerem adcommodavit (IV 125—128). Ad eundem Verrium Ovidii de mensibus Maio et Iunio veriloquia revocanda esse argumentis certis efficitur. Maii nominis explicationes Ovidius proponit tres. Primam, Maium a maiestate derivandum esse (fast. V 11—54), cum neque apud ullum fastorum scriptorem invenerim neque ad Cal-

purnii Pisonis, qui Macrobio teste (Sat. I 12, 18) Vulcani uxorem Maiestam, non Maiam vocari docuerat, opinionem referre ausim, poeta ipse sibi confinxisse videtur. Altera a maioribus (fast. V 55—78) et tertia a Maia, Mercurii matre (fast. V 79—106) optime Verrianae doctrinae respondent (Fest. p. 134). Atque primum quidem Ovidius cum Verrio in eo concordat, quod Maium a Maia Mercurii matre deducit, quam derivationem primus defendit Verrius Flaccus, ut Theodorus Litt recte observavit.[1])

Simili modo res se habet in Iunii nominis interpretationibus ab Ovidio et Verrio prolatis. Naso enim eadem veriloquia praebet atque Verrius (a Iunone fast. VI 21—64 cf. Paul. p. 103 aut a iunioribus fast. VI 65—90 cf. Fest. p. 134). Quorum prius Verrius Cincium secutus protulit, cum Varro d. l. l. VI 33 Fulvii et Iunii sententiam acceperit, Iunium a iunioribus derivari, quo Censorini testimonium d. d. n. 22, 12 refutatur, qui priorem explicationem Varroni adscripsit. Tertium Ovidii veriloquium a iunctis Romanis a Sabinis (fast. VI 91—96), cum nusquam alibi inveniatur, poeta ipse sibi confinxisse putandus est. Tum vero ad sententiam de Verrio Ovidii auctore melius stabiliendam id monendum restat et Ovidium et Verrium in Maii et Iunii nominibus exponendis veriloquia ita proposuisse, ut alterum alteri non praeferrent. Alias denique mensium explicationes, quas Ovidius in initio carminis I 39—44 proposuit, non e Verrii fastis, sed ex alio fonte pendere me infra comprobaturum esse spero.

2b.

Notarum explicationum eas tantum e Verrii fastis sumptas esse contenderim, quae simili ratione atque in fastis Praenestinis adhuc legimus ad singulos dies litteris notatos a poeta commemorantur, interpretationes dico notarum Q·R·C·F ad Mai. 24 (fast. V 727 sq.) et Q·ST·D·F ad Iun. 15 (fast. VI 713 sq.). Ovidius enim vv. V 727 sq. non solum presse dicit se quattuor litteras Q· R· C· F in fonte legisse

Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
vel mos sacrorum vel fuga regis inest,

sed etiam interpretationes Verrianas, si non adcurate reprompsit, tamen in transcursu quidem commemoravit. Cf. fasti Praen. ad Mart. 24 (cf. Fest. p. 258) *Hunc diem plerique perperam interpretantes putant appellar[i], quod eo die ex comitio fugerit [rex, n]am neque Tarquinius abiit ex comitio [urbis] et alio quoque mense eadem sunt [idemque s]ignificant. Qu[are comitiis peractis iudici]a fieri iis magis putamus*[1]).

Ad Varronem vero Ovidii doctrina ob eam rem revocari non potest, quod ille alteram solam interpretationem exhibet de l. l. VI 31 *Dies qui vocatur sic 'quando rex comitiavit, fas' sic* (cod. *sis*) *dictus ab eo quod eo die rex sacrificiolus litat* (sic O. Hirschfeld, *dicat* cod.) *ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas.* Quod Naso eam notam, quam in fastis Praen. ad Mart. 24 positam invenimus, ad diem Mai. 24 explicavit, id poetae neglegentia factum esse arbitror. Eundem Verrium poetam in nota Q·ST·D·F exponenda ad Iun. 15 vv. VI 713

haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae,
Thybri, per Etruscas in mare mittis aquas

secutum esse propterea censeo, quod a Varrone discrepat, qui d. l. l. VI 32 nil nisi stercus per Capitolinum clivum in locum certum delatum esse tradit. Festi vero glossae p. 258[2]) et p. 344 v. *stercus*, cum Varronis sententiam praebeant et ab Ovidio distent, non ex Verrii fastis fluxisse videntur, sed ex Varronis libris antiquitatum. Cum autem stercus ex angiportu clivi Capitolini non die Iun. 15, ut

[1]) De Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris p. 11.

[1]) De hoc loco restituendo cf. Mommsen C. I. L. I² p. 289

[2]) De hac glossa restituenda cf. Mommsen C. I. L. I² p. 289.

Ovidius tradit, sed aliis diebus in Tiberim comportatum esse constet[1]), notae explicationem a poeta propositam facile explicari arbitratus sim, si Nasonem id, quod in fonte — Verrii fastis, ni fallor — obiter erat commemoratum, pro primario argumento habuisse putamus.

Quid autem de eis iudicandum sit, quae Ovidius de dierum notis nominibusque toti operi praemisit I 45—63 similiter atque mensium explanationes versibus antecedentibus indicatas, infra adcuratius disseram.

2 c.

Iam ut ad ferias publicas ab Ovidio explicatas atque inlustratas transeamus, nonnullae feriarum explanationes inveniuntur, quas e solis Verrii fastis pendere certis causis me probaturum spero: Vinalia priora, Quinquatrus, Regifugium, Tubilustrium, Equirria. In vv. IV 863—900, quibus agit de Vinalibus prioribus (ad April. 23) Ovidius eam sententiam sequitur, Vinalia priora celebrari et Iovi et Veneri, quam etiam in Verrii fastis prolatam fuisse, etsi in adnotatione mutilata ad April. 23 servata nil nisi Iovis esse legitur, tamen ex Robigalium explicatione concludi licet[2]). Cf. fasti Praen. ad April. 25 *Feriae Robigo via Claudia ad milliarium V. ne robigo frumentis noceat. Sacrificium et ludi cursoribus maioribus minoribusque fiunt. Festus est puerorum lenoniorum, quia proximus superior meretricum est.* Etenim verbis *quia proximus superior meretricum est* Verrium ad Veneris sacrificium respicere apertum est. Varro autem ab Ovidio ea re manifesto differt, quod hunc diem Iovis, non Veneris esse docet d. l. l. VI 16 *Vinalia a vino; hic dies Iovis, non Veneris. huius rei cura non levis in Latio; nam aliquot locis vindemiae primum ab sacerdotibus publice fiebant, ut Romae etiam nunc; nam flamen Dialis auspicatur vindemiam et*

[1]) Cf. H. Iordan, der Tempel der Vesta und das Haus der Vestalinnen (Berolini 1886) p. 70.
[2]) Cf. Winther l. c. p. 32.

ut iussit vinum legere, agna Iovi facit, inter quoius exta caesa et proiecta flamen primus vinum legit. In Tusculanis ortis est scriptum: vinum novum ne vehatur in urbem, antequam vinalia kalentur. Quam anxie vero Ovidius Verrii vestigia presserit, inde intellegitur, quod falsam huius opinionem, Vinalia priora ex voto Aeneae celebrari, accepit (fast. IV 879—900). Cf. fasti Praen. ad April. 23. *Io*[*vi*] . . . . *m* . . . . . *ded* . . . . . [*Vini omnis novi libamentum Iovi*] *consecratum* [*est, cum Latini bello preme*]*rentur ab Rutulis, quia Mezentius rex Etrus*[*co*]*rum paciscebatur, si subsidio venisset, omnium annorum vini fructum.* Wintheri autem coniecturam, qui Gilbertum[1]) secutus censet[2]) fabulam de voto Aeneae a Nasone et a Verrio prolatam sic accipiendam esse, ut vinum Iovi die pugnae (April. 23) votum, postea autumno sacrificatum sit, certis argumentis Peterus refellit[3]). In libris de significatione verborum Verrius ipse recte de Aeneae voto videtur iudicasse, cum in Festi glossa (Fest. p. 265 v. *Rustica vinalia*) illud votum recte ad Vinalia rustica (Aug. 19) relatum sit. E Varrone autem hanc Nasonis sententiam fluxisse Rudolfus Ritter[4]) iniuria adserit, cum illa Varronis verba, quae Ritterus ad vv. IV 879—900 rettulit, dilucide doceant Varronem fabulam de Mezentii auxilio Rutulis contra Latinos lato et de voto Aeneae cum Vinalibus rusticis (August. 19) coniunxisse. Plinius n. h. XIV 88: *M. Varro* (ant. rer. hum. II 17 Mirsch) *auctor est Mezentium Etruriaè regem auxilium Rutulis contra Latinos tulisse vini mercede, quod tum in Latino agro fuisset.*

Porro Ovidius in Quinquatribus et Regifugio explicandis e solis Verrii fastis videtur hausisse. Etenim etsi non adcurate eius sententias reddidit, tamen causas, cur

[1]) Annal. philol. CXVII 1878 p. 780.
[2]) Winther l. c. p. 31.
[3]) H. Peter Ovids Fasten II p. 72.
[4]) R. Ritter, De Varrone Vergilii in narrandis urbium populorumque Italiae originibus auctore, Diss. philol. Hal. vol. XIV p. 340.

paululum ab eis discedat, facile intelleges. In Quinquatruum nomine interpretando cur Ovidius III 809 sq.

Una dies media est, et fiunt sacra Minervae,
nomina quae iunctis quinque diebus habent

illam ipsam explicationem acceperit, quam Verrius (fasti Praen. ad Mart. 19. Fest. p. 254) pariterque Varro d. l. l. VI 14 refutaverunt, eam quam Verrius probavit omnino silentio praeterierit, iam Wintherus recte cognovit tales grammaticorum argutias a poetae ingenio alienas esse monens.[1]

Nec minus facile est causam indagare, cur Ovidius in Regifugii nomine explicando interpretationem a Verrio improbatam acceperit, probatam neglexerit. Regifugium enim certe ob eam rem a fuga regis appellari Ovidius II 685 sqq. dixit, quod vv. II 685—856 copiose de fuga regis Tarquinii egit. Consulto igitur poeta eam explicationem silentio praeterit, quam Verrii adsensum tulisse scimus ex Festi glossa p. 278 a Th. Mommseno in C. I. L. I² p. 289 optime ita restituta: [*Regifugium notatur in fastis dies a. d.*] *VI Kal.* [*Mart., qui creditur sic dict*]*us, quia* [*eo die rex Tarquinius fugerit ex urbe*]. *Quod fal*[*sum est; nam e castris in exilium abisse eum r*]*ettul*[*erunt annales. Rectius explicabit, qui regem e*]*t Salios* [*hoc die . . . . . facere sacri*]*ficium in* [*comitio eoque perfecto illum inde fugere n*]*overit.*

In Equirrium (II 857—862) et Tubilustrii (III 849 sq.) nominibus exponendis a Nasone Verrii fastos adhibitos esse quominus credamus nihil impedit, quamquam Verrius (cf. Paul. p. 81. Fasti Praen. ad Mart. 23) et Varro de l. l. VI 13. 14 eadem veriloquia tradunt. Quod enim Ovidius Tubilustrium forti deae sacrum esse conicit, in tabula autem Praenestina de Martis sacrificio agitur, id Wintherus[2]) Ehwaldio plaudente[3]) nisus Laurentii Lydi testimonio

[1]) Winther l. c. p. 39. R. Ehwald l. c. p. 168.
[2]) Winther l. c. p. 36.
[3]) R. Ehwald l. c. p. 168 sqq.

(de mens. IV 60 Wuensch) recte ita explicavit, ut utrumque deum in Verrii fastorum volumine commemoratum fuisse sumeret.

Porro in aliis feriarum explicationibus Naso praeter Verrii fastos Varronem consuluit et doctrinam Verrianam cum Varroniana contaminavit. Agonii vocabuli poeta I 317—331 sex derivationes proposuit:

1. a quaestione ministri: *agone?* I 319
2. a pecude acta, I 323
3. Agnalia ab agnis I 325
4. a verbo ἀγωνιᾶν I 327
5. a verbo ἀγών i. e. ludo. I 329
6. ab agoniis id est pecudibus I 331.

Verrii autem veriloquiorum, etsi ex paucis verbis tabulae Praenestinae *Agonia aut quia* nil nisi eum complures derivationes protulisse cognoscitur, in Pauli epitoma haec exstant:

Paul. p. 10, 5
1. ab hostia = agonia
2. ab Agonio deo agendarum rerum
3. ab agonibus id est montibus

Paul. p. 10, 8
4. quod locus ludi erat sine angulo.

Ovidius igitur in ea derivatione cum Verrio consentit, quam ipse rectam esse iudicavit Agonium ab agoniis deducendum esse docens, quod mero casu factum esse equidem negaverim. Ex eo autem, quod reliquae explicationes, quas Pauli epitoma praebet, apud Ovidium non leguntur, minime id, quod Henricus Willemsen[1]) pro certo habuit, efficias Ovidium non inspexisse Verrii fastos, cum supra exposuerim Verrium in fastis et in libris de significatione verborum non semper eadem protulisse. Primam, quam poeta proposuit, originationem, agonium vocari

[1]) H. Willemsen l. c. p. 41.

a quaestione ministri *agone?* apud Varronem d. l. l. VI 12 inveuis, ita ut Ovidius eam ex Varrone desumpsisse mihi videatur. Reliqua vero Nasonis quattuor veriloquia utrum poeta ipse commentus sit an in fontibus legerit discerni nequit.

Neque aliter res se habet in ea doctrina, qua poeta Quirinalium ferias II 475—512 exornavit. Dei Quirini nominis Ovidius II 475—480 has derivationes praebet:

1. Quirinus, quod hasta a priscis Sabinis *curis* dicta est
2. Quirinus a quiritibus
3. Quirinus, quod Cures Romanis iunxerit.

Qua cum Ovidii doctrina nunc fragmentum comparare licet, quod nuper Praeneste inventum in Notizie degli scavi 1904 p. 396 editum est. Pauca verba adhuc superstitia O. Marucchi hunc in modum restituit:

[Hasta Martis sive curis in aede servatur]
[ex qua civitas prisci populi Quir]itis
[nomen habet et simulac]rum idem.
[Quia dicitur Sabino no]mine hasta curis
[ita, ut Martem Sabin]i dicant Quirinum.
[Eodem die stulto]rum feriae.

vel p. 397

[Nomen antiquum populi Quir]itis
[est Romanorum et Sabino]rum idem
[quia dicitur Sabino nom]ine hasta curis
[ita, ut Romulum Sabin]i dicant Quirinum
[Eodem die stulto]rum feriae.

quae altera restitutio mihi quidem magis adridet. Adcuratius autem quam Marucchi novum Verrii fragmentum nuperrime examinavit C. Pascal, qui neque paucis neque levibus causis permotus in ephemeride Atene e Roma vol. IX 1906 n. 90—91 hoc supplementum proposuit:

[Romulo Quirino in colle. Ab hasta Quiri]tis
[sive Quirinus lingua Sabino]rum idem
[nominatur, quod Sabinò nom]ine hasta curis
[vocatur. sunt etiam qu]i dicant Quirinum
[a Curibus appellatum.]
[Eadem die stulto]rum feriae.

Quamquam, ut ex diversis supplementis patescit, certum in modum fragmentum restituere non contigit, tamen paucae litterae, quae remanserunt, hoc ostendunt, Verrium Quiritis et Quirini nomen a Sabino verbo *curis* derivasse. Veriloquium Quirinum appellari, quod hasta a Sabinis *curis* dicta sit, cum apud Varronem non legatur, Naso certe ex Verrii fastorum libro desumpsit. Alteram vero Ovidii de Quirino deo explicationem non ad Verrium, sed ad Varronem revocaverim. Nam cum poeta Quirinum a quiritibus dictum esse contendat, Verrius in fragmento tabulae Praenestinae Quirini nomen ad Sabinorum hastam rettulit et in Pauli epitoma (p. 49 v. *Curis est Sabine hasta*) quirites a Quirino appellari statuit. Contra Varro de l. l. V 73 in hac derivatione plane cum Ovidio conspirat Quirinum a quiritibus vocari docens. Tertium denique veriloquium et apud Verrium (cf. Paul. p. 49) et apud Varronem invenire potuit (cf. d. l. l. VI 68). In Quirinalium autem origine enarranda poetam II 481—510 Ennii vestigia pressisse Aemilius Sofer[1]) recte exposuisse mihi videtur.

Porro in Parilium nomine derivando Ovidius prorsus cum Varrone concordat, quod uterque auctor Parilia a Pale dea deduci docet (cf. Ovid. fast. IV 721. Varro d. l. l. VI 15). Verrius autem huic veriloquio alterum addidit nec utrum praeferendum esset dixit. Paul. p. 222, 12 *Pales dicebatur dea pastorum, cuius festa Palilia dicebantur; vel, ut alii volunt, dicta Parilia, quod pro partu pecoris eidem sacra fiebant.* Naso igitur e duabus Verrianis ety-

[1]) E. Sofer, Livius als Quelle von Ovids Fasten, Programm des Maximiliansgymnasiums zu Wien 1906.

mologiis Varronianam potius sibi elegit, quod vix factum esset, si Varronis sententia Ovidio ignota fuisset.[1]) Nec poeta Verrii fastorum adnotationem plane videtur neglexisse, cum in consuetudine illa ter per stipulas accensas transiliendi et anno pastoricio commemorandis cum tabulae Praenestinae adnotatione conspiret (cf. Ovid. fast. IV 727 sq. 781 sq. 775 sq. fasti Praen. ad April. 21).

Ovidii feriarum explicationibus, quibus poetam Verrii doctrinam cum Varrone in unum conflasse probatur, allatis vel id demonstratur, Ovidium in reliquis feriis interpretandis Verrii doctrina, quam in fastorum commentario comparatam invenit, repudiata Varronis auctoritati se addixisse.

Carmentalium secundorum causam, quam Ovidius ad Ian. 15 fast. I 617—636 tradit, non e Verrii fastis petitam esse intelleges, si Ovidii doctrinam cum fastorum Praenestinorum adnotatione comparaveris. Etenim cum Naso fabulam de matronis, quae ob carpentorum usum sibi interdictum partus abegerint, narret, in fastis Praen. plane alia causa enarrata est in explanatione ad Ian. 15 adscripta: *Feriae Car[me]nti ob eandem caus[am, quod] III idus. Hic [d]ies dicitur institutu[s ab . . . . .] si Fidenas eo die cepiss[e]t.* Quae verba pauca et corrupta quid in singulis significent quamvis non pateat, tamen in eo viri doctissimi[2]) consentiunt, in eis causam, cur Carmentalia institutae sint, contineri. Wintheri igitur suspicio[3]), qui censet ea quae in tabula Praenestina exstent ad aliam rem spectare, omni fundamento caret. Contra eandem causam, quam Ovidius tradit, in Plutarchi quaestionibus Romanis c. 56 legis *Διὰ τί τὸ τῆς Καρμέντης ἱερὸν ἐξ ἀρχῆς δοκοῦσιν αἱ μητέρες*

[1]) Cf. E. Samter, Quaestiones Varronianae, diss. Berol. 1891 p. 49.

[2]) Th. Mommsen in C. I. L. I[2] p. 307 ad Ian. 15. G. Wissowa, Religion und Kultus der Römer p. 181.

[3]) H. Winther l. c. p. 38.

ἱδρύσασθαι καὶ νῦν μάλιστα σέβονται; λέγεται γάρ τις λόγος, ὡς ἐκωλύθησαν ὑπὸ τῆς βουλῆς αἱ γυναῖκες ὀχήμασι χρῆσθαι ζευκτοῖς· συνέθεντο οὖν ἀλλήλαις μὴ κυΐσκεσθαι μηθὲ τίκτειν, ἀμυνόμεναι τοὺς ἄνδρας, ἄχρι οὗ μετέγνωσαν καὶ συνεχώρησαν αὐταῖς· γενομένων δὲ παίδων εὐτεκνοῦσαι καὶ πολυτεκνοῦσαι τὸ τῆς Καρμέντης ἱερὸν ἱδρύσαντο. Quam Plutarchi narrationem cum intercedente Iuba ad Varronem redire veri simillimum sit[1]), certe Ovidius ex eodem fonte pendet. Apud eundem Varronem poeta id invenire potuit, quod de scorteis profert vv. I 629—630 (cf. Varro d. l. l. VII 84), etsi idem fere in fastis Praen. ad Ian. 11 traditur.

Feralium Ovidius eandem originationem praebet II 569, quae Varroni placuit; cf. Varro d. l. l. VI 13 *Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare.* Licet poeta idem veriloquium etiam in Verrii fastis legerit, ex quibus fortasse fluxit Pauli glossa p. 85 *Feralia diis manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a feriendis pecudibus appellata,* tamen id casu quodam accidisse vix crediderim, ut Ovidius ex duabus explicationibus Verrianis Varronianam potissimum commemoraret, alteram omnino silentio praeteriret.[2])

In Matronalium origine indaganda Ovidius complures causas profert, ex quibus ea tantum ad fontem revocari potest, quam uberius exornavit, dico Sabinorum bellum a mulieribus sedatum, cum ceteras unde desumpserit plane incertum sit. Quem auctorem poeta in hac narratione secutus sit cum iam Ernestus Samter[3]) recte exposuerit, hoc loco paucis referam, quid de huius explicationis fonte iudicandum sit. Ovidium e Verrii fastis non pendere inde elucet, quod Verrius nec in tabula Praenestina ad Mart. 1 nec in Pauli epitoma p. 147, 5 eam Matro-

[1]) Cf. A. Barth, De Iubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis in quaestionibus Romanis et in Romulo Numaque, diss. Gotting. 1876 p. 36.

[2]) Cf. E. Samter l. c. p. 49.

[3]) E. Samter l. c. p. 53 sqq.

nalium causam, quam Ovidius imprimis celebravit, commemoravit, Ovidius causam in fastis Praenestinis traditam plane neglexit. Contra Samterus Peterum [1]) secutus concentum, qui inter Ovidium et Plutarchum Dionysiumque Halicarnassensem intercedit, adcurate exposuit. Cum Plutarcho (Romul. 19) Ovidius in eo concordat, quod, ut Samteri verbis utar, *uterque Hersiliae gravissimas partes tribuerit, uterque inter acies Sabinas intervenisse tradiderit, uterque infantes illas secum habuisse narraverit.* Praeterea Ovidius in vv. III 205 sqq. in paucis a Plutarcho discrepans cum Dionysio II 45, 1 in eo consentit, quod uterque auctor similiter concilii feminarum ab Hersilia instituti mentionem facit. Quod Ovidius duas fabulas tradit, Samterus mea quidem sententia recte ita explicavit, ut poetam eandem fabulam utraque ratione in eodem fonte enarratam invenisse sumeret. Quem fontem ab Ovidio adhibitum Varronem esse inde probatur, quod hunc auctorem in feriis inlustrandis praeter Verrium et alias exscripsit. Denique IV 631—632 in Fordicidiorum interpretatione:

Forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo,
hinc etiam fetus nomen habere putant

eiusdem Varronis auctoritati se addixit, Verrii sententiam omnino neglexit. Cf. Varro d. l. l. VI 15 *Fordicidia a fordis bubus. Bos forda, quae fert in ventre.* Paul. p. 83 *Fordicidis boves fordae, id est gravidae, immolabantur, dictae a fetu.* Videmus igitur Ovidium Varronem secutum fordi vocem derivasse a ferendo, contra Verrium boves fordas a fetu deduxisse.

2 d.

Ovidium, ut versus IV 133—162 de sacrificiis Veneri Verticordiae et Fortunae virili Kalendis April. oblatis conderet, nihil in fonte legisse nisi adnotationem in Verrii

[1]) H. Peter, Ovids Fasten II p. 43.

fastis ad April. 1 adscriptam Wintherus l. c. p. 21 recte monuit, praesertim cum Mommsenus C. I. L. I² p. 314 testimoniis nisus Macrobii (Sat. I 12, 15) Lydi (de mens. IV 65) Plutarchi (vita Numae 19) probabiliter coniecerit quadratarium Praenestinum sacrificium Veneris Verticordiae ad hunc diem in Verrii fastis adnotatum omisisse.

Ut eam, qua poeta de Argeorum sacrificio egit, partem Ovidiani carminis — V 621—662 dico — ad fontes certos revocemus, disputatio illa docta, quam Georgius Wissowa de Argeis edidit [1]), nobis satis firmum fundamentum praebet. Primam sacrificii Argeorum causam ab Ovidio vv. V 623—632 enarratam e Verrii fastis pendere Wissowa (Ges. Abhandl. p. 215 sq.) his fere argumentis luculenter ostendit. Ovidius morem notum scirpeas effigies in Tiberim praecipitandi coniunxit et cum L. Manlii sententia, qui Pelasgos secundum responsum Dodonae acceptum Diti et Saturno quotannis capita humana sacrificasse, postea autem Hercule monente pro hominibus Diti oscilla ad humanam effigiem simulata, Saturno lumina obtulisse docuerat, et cum proverbio illo *sexagenarios de ponte.* Quam trium diversarum rerum coniunctionem Nasonem apud Varronem non invenisse inde adparet, quod Varro (de vita pop. Rom. II apud Non. 523, 22) illud proverbium ad ius suffragii sexagenariis negatum rettulit et L. Manlii de Pelasgorum responso sententiam (apud Macrob. Sat. I 7, 28 - 31) ob eam solam causam tradidit, ut quid oscilla fictilia et lumina in Saturnalibus significarent exponeret. Contra primus Verrius Flaccus ap. Fest. p. 334a 16—25 perinde atque Ovidius Argeorum sacrificium et cum proverbio *sexagenorios de ponte* et cum L. Manlii oraculo conexuit, ita ut poetam Verrium secutum esse manifestum sit. Qua Georgii Wissowa argumentatione ii

[1]) Pauly-Wissowa, Realencyklopaedie II 689 sqq. = Ges. Abhandlungen zur röm. Religions- und Stadtgeschichte p. 211 sqq.

viri docti refutantur, qui, ut Hermannus Peter,[1]) Ehwaldius,[2]) Henricus Jordan,[3]) E. Samter[4]), totam Nasonis de Argeis doctrinam e Varrone sumptam esse contenderunt. Reliquis vero Verrii Argeorum explicationibus, quas apud Festum p. 334 legis, aliae causae ab Ovidio in vv. V 633—662 prolatae non conveniunt. Secundam Verrii causam Ovidius omnino silentio praeterit, cf. Fest. p. 334b 1—10: *sunt qui dicant post urbem a Gallis liberatam ob inopiam cibatus coeptos sexaginta annorum homines iaci in Tiberim; ex quo numero unus filii pietate occultatus saepe profuerit patriae consilio sub persona filii. id ut sit cognitum, ei iuveni esse ignotum et sexagenariis vita concessa; latebras autem eius, quibus arcuerit* (*arguerit* cod.) *senem, id est cohibuerit et celaverit, sanctitate dignas esse visas ideoque arcaea appellata.* Porro poeta V 633—634 eam Sinnii Capitonis explicationem proverbii *sexagenarios de ponte*, quam Verrius in libris de significatione verborum totam accepit, quasi in transcursu commemorat. Denique quartam et quintam Verrii causam apud Nasonem frustra quaeres. Cum enim Ovidius in vv. 635—662 Argivos, qui cum Euandro in Latium venissent, pro corpore senis simulacrum scirpeum in Tiberim proiecisse tradat, Verrius verbis valde laceris apud Festum p. 334a 25—30[5]), ut Wissowa cum magna probabilitatis specie coniecit[6]), morem ita explicavit, ut Herculem ipsum ad memoriam comitum Argivorum redintegrandam scirpeas effigies in flumen deiecisse sumeret, aut apud Fest. p. 334a 30 de legato quodam Argivo, cuius corpus post mortem in patriam remissum esset, diceret. Wintheri autem coniectura[7]), qui Ovidium ex

---

[1]) H. Peter, Ovids Fasten II p. 85.
[2]) R. Ehwald, l. c. p. 168 sqq.
[3]) H. Jordan, Topographie der Stadt Rom II p. 282 sqq.
[4]) E. Samter, Quaestiones Varronianae p. 48 sqq.
[5]) Idem traditur apud Macrob. Sat. I 11, 47.
[6]) Ges. Abhandl. p. 213 adn. 2.
[7]) H. Winther p. 53.

Verrii alteris duabus unam narratiunculam sibi conflasse censet, vix cuiquam credo probabitur. Quodsi igitur Ovidius ex quinque causis, quas Verrius in libris de significatione verborum enumerat, unam solam eamque, quam Varro non habet, vv. 621—632 reddidit, reliquas autem omnino neglexit, inde id coniecerim, Verrium unam solam explicationem ab Ovidio enarratam in fastis protulisse, ita ut inde consequatur Verrium in libris de significatione verborum multo fusius de Argeis disputasse, quam in fastorum commentario, id quod alias quoque accidisse iam supra monui. Nunc restat, ut quo ex fonte poeta duas Argeorum explicationes in vv. 633—662 prolatas hauserit quaeratur. Secundam moris explicationem vv. 633—634

Pars putat, ut ferrent iuvenes suffragia soli,
pontibus infirmos praecipitasse senes

poetam apud Varronem legisse inde perspicitur, quod Varro de vita pop. Romani II apud Nonium p. 523 idem docuit: *Cum in quintum gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. ideo in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur sexagenarios de ponte deici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* Tertia denique causa, quam Ovidius in vv. V 635 sqq. proponit, pro Argivi cuiusdam in Italia relicti corpore post mortem scirpeam imaginem flumine in patriam remissam esse, certe ad eundem Varronem revocatur. Etsi enim Varro de l. l. V 45 nil nisi Argeos in Italia remansisse tradit *Argeos dictos putant a principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam et in Saturnia subsederunt,* tamen inde magna cum probabilitate concludere licet eum in antiquitatum libris de eadem re fusius disputasse, praesertim cum etiam aliunde constet Varronem multa in libris de lingua Latina strictim tetigisse, quae in antiquitatum libris copiose explicaverat.

Eandem Quinquatruum minorum explicationem, quam poeta ad id. Iunias in vv. VI 693 sqq. proposuit

Haec ubi perdocuit, 'Superest mihi discere' dixi,
'cur sit Quinquatrus illa vocata dies'.
'Martius', inquit, 'agit tali mea nomine festa,
estque sub inventis haec quoque turba meis'

et in Verrii et in Varronis commentario invenire potuit, ut ex locis iuxta adlatis adparebit.

Fest. p. 149 (Paul. p. 148) *Minusculae quinquatrus appellantur Idus Iun., quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Minervam, cuius deae proprie festus dies est Quinquatrus mense Martio.*

Varro de l. l. VI 17 *Quinquatrus Minusculae dictae Iuniae idus ab similitudine maiorum, quod tibicines tum feriati vagantur per urbem et conveniunt ad aedem Minervae.* Narratiuncula autem de tibicinum secessione (fast. VI 657—692), qua poeta quam ob causam tibicines idibus Iuniis os involuti et muliebribus vestibus induti per urbem vagari soliti sint disserit, simillima ratione a Plutarcho in quaestionibus Romanis c. 55 narratur. Quam Plutarchi relationem ad Varronem recedere ob eam rem verisimile fit, quod in quaestionibus Romanis Varronianae, non Verrianae[1]) doctrinae vestigia exstare solent. Ovidium vero et Plutarchum ex eodem fonte, scilicet Varrone, pendere imprimis inde adparet, quod uterque auctor ab altera eiusdem rei narratione, quae apud Livium IX 30, 5 sqq. et Valerium Maximum II 5, 4 tradita est, dissonat.[2]) Ovidius et Plutarchus eundem auctorem secuti narrant tibicines Romanos, cum Tiburi in exilio versarentur, ab uno cive Tiburtino ad cenam vocatos et per dolum Romam reportatos esse, cum Livius et Valerius eundem dolum a compluribus civibus Tiburtinis compositum esse adfirment. Huc accedit, quod Plutarchus civem Tiburtinum consilium antea cum magistratibus Romanis communicasse ait. Ean-

[1]) A. Barth l. c. p. 52 sqq. recte monet Plutarchum a Festo discrepare.

[2]) Cf. Ed. Zeller, Vorträge u. Abhandlungen II p. 136 sqq.

dem opinationem Ovidium in fonte legisse, quamquam expressis verbis non refert, tamen ex his versibus colligere licet fast. VI 673 sq.:

nox erat, et vinis oculique animique natabant,
cum praecomposito nuntius ore venit.

Nuntius igitur illa nocte Roma missus consilium iam pridem compositum esse non ignoravit. De discrepantiis autem levioribus, quae inter Ovidii et Plutarchi narrationes exstant, hoc loco disputare supervacaneum est, cum de eis iam Eduardus Zeller l. c. p. 136 sqq. satis adcurate egerit. Id dumtaxat monere sufficiat, leviores illas dissimilitudines inde ortas esse, quod Plutarchus doctrinam Varronianam in quaestionibus Romanis prolatam non e Varrone ipso, sed Iuba intercedente accepit.

De reliquis vero feriis et sacrificiis ab Ovidio narratis non disputabo, quod plerumque certis argumentis diiudicari nequit, utrum Ovidius a Verrio an a Varrone pendeat, cum aut grammaticorum interpretationes omnino nullae servatae sint aut alterius auctoris sententia interierit.

Quibus expositis in hac secunda disputationis parte id mihi ostendisse videor, ut paucis comprehendam, Ovidium in eis carminis partibus, quibus e Verrii fastis haurire potuit, partim e solo Verrii fastorum libro pendere, partim doctrinam Verrianam cum Varroniana contaminasse, partim Verrii explicationibus consulto neglectis Varroni se mancipasse. Ovidium autem libros de lingua Latina volvisse, ubi Varronis fastorum doctrina, quam supra in comparationem vocavi, maximam quidem partem servata est (VI 12—34), cum ideo accipi non potest, quod sua sponte patet Ovidium fastorum explanationes non ex libris grammaticis petivisse, tum, quod, ut supra ostendi, plerumque uberiorem relationem, quam libri de lingua Latina suppeditant, legit. Quaerenti vero quibus in Varronis libris poeta fastorum commentarium inspexerit Varro ipse respondet: nempe Reatinus indicat se in antiquitatum libris fusius et uberius de hac re disputasse de l. l. VI 13 *Februm*

Sabini purgamentum, et id in sacris nostris verbum; nam et Lupercalia Februatio, ut in antiquitatum libris demonstravi. VI 18 *Aliquot huius diei vestigia fugae in sacris apparent, de quibus rebus antiquitatum libri plura referunt.* Sed cum Varro non eadem ratione atque Verrius anni tabulam universam inlustraverit, sed in singulis antiquitatum libris de fastorum doctrina eo, quem rerum adfinitas postulabat, ordine disputaverit, Ovidius certe complures antiquitatum libros adhibuit. Quae de mensium nominibus derivandis e Varrone desumpsit, in antiquitatum humanarum libro XVIII[1]) legit, Varronis autem de feriis sacrisque doctrinam in antiquitatum divinarum libris VIII et XIII[2]) comparatam invenit.

Caput III.

Iam ad eas Ovidii fastorum partes accedamus, quae, cum nullo modo in Verrii fastis exstare potuerint, ad alios fontes recedunt. De anno Romanorum quo loco Verrius in fastorum commentario disputaverit non intellegitur, cum in hoc opere non fastorum doctrinam per capita dispositam explicaverit, sed singulis diebus explicationes doctas adseruerit. Porro ea, quae poeta de feriis conceptivis tradidit, ob eam rem ad Verrii fastos referri non possunt, quod hae feriae in fastis omnino non erant perscriptae. Nec eas de singulis deis expositiones, quae cum feriarum explicationibus non cohaerent, ad Verrii fastos revocaverim, cum tam amplas disquisitiones mythologicas in Verrii fastorum commentario exstitisse veri parum simile sit.

[1]) Cf. O. Gruppe, Herm. vol. X p. 51.
[2]) Cf. Augustin. de civ. dei VI 3. Merkel, Proleg. ad Ovid. fastos p. CLIII sqq. et p. CLXVII sqq.

1.

Ovidius compluribus locis de anno Romanorum egit I 27—44. II 47—54. III 71—166. Quam Nasonis doctrinam comparare iuvat cum Macrobio, Censorino, Solino, qui de eadem re disputant. Quos scriptores in anni Romanorum historia enarranda ex uno proximo fonte, Suetonii libro de anno Romanorum, pendere Georgius Wissowa de Macrobianis fontibus agens[1]) evicit. Suetonium vero Varronis atque Verrii vestigia pressisse Wissowa l. c. p. 32 rectissime indicavit sic locutus: *atque imprimis hoc adparet — quod ne antea quidem ignorabatur, sed ex Isidori miseris excerptis non poterat satis perspici — hanc praecipue rationem Suetonium secutum esse, ut Varronis atque Verrii Flacci doctrinam inter se conciliaret et quasi in unum conflaret, paucis aliis adhibitis libris Verrio recentioribus, ut Masurii Sabini fastis; antiquiorum autem scriptorum, quos multos laudavit, notitiam e Varrone et Verrio plerumque hausisse videtur.* Nostrum igitur erit diiudicare utri auctori ea Suetonii excerpta, quae cum Ovidio concordant, tribuenda sint. Nam quod Theodorus Litt[2]) contra Wissowae opinionem dixit Macrobii de Romanorum anno mensibus diebus disputationem Cornelio Labeone intercedente e Verrii fastis derivatam esse refutare supervacaneum est, cum in illius argumentatione omnino nihil insit, qua illa sententia confirmetur.[3]) Atque primum quidem inter omnes hos scriptores convenit annum, quem vocant Romuleum, decem tantum menses habuisse (Ovid. fast. I 27—28. III 99 sq. V 423. Macrob. Sat. I 12, 3. Censorin. 20, 2. Solin. I 35). Quam Macrobii Censorini Solini sententiam ad ultimum auctorem Varronem recedere ex Censorino d. d. n. 20, 2

[1]) De Macrobii Saturn. fontibus capita tria, diss. Vratisl. 1880 p. 32.
[2]) Th. Litt, De Verrii Flacci et Cornelii Labeonis fastorum libris, diss. Bonnae 1904 p. 16.
[3]) Cf. F. Bluhme, De Ioannis Laurentii Lydi libris περὶ μηνῶν observationum capita duo; diss. Hal. Sax. 1906 p. 84 sqq.

compertum habemus: *Annum vertentem Romae Licinius quidem Macer et postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt: sed magis Iunio Gracchano et Fulvio et Varroni et Suetonio aliisque credendum, qui decem mensum putarunt fuisse, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani.* Maioris vero momenti est, quod Ovidius in eis quoque causis cum Macrobio et partim cum Solino conspirat, quibus expedire studet, cur annus Romuli a Martio potissimum mense inceperit.

Ovid. fast. III 135—146	Macrob. Sat. I 12, 5
Neu dubites, primae fuerint quin ante Kalendae Martis, ad haec animum signa referre potes: laurea, flaminibus quae toto perstitit anno, tollitur, et frondes sunt in honore novae. ianua tunc regis posita viret arbore Phoebi; ante tuas fit idem, curia prisca, fores. Vesta quoque ut folio niteat velata recenti, cedit ab Iliacis laurea cana focis. adde, quod arcana fieri novus ignis in aede dicitur, et vires flamma refecta capit. nec mihi parva fides, amos hinc isse priores, Anna quod hoc coepta est mense Perenna coli.	Haec fuit Romuli ordinatio, qui primum anni mensem genitori suo Marti dicavit . . . . huius etiam prima die ignem novum Vestae aris accendebant, ut incipiente anno cura denuo servandi novati ignis inciperet. eodem quoque ingrediente mense tam in regia curiisque atque flaminum domibus laureae veteres novis laureis mutabantur. eodem quoque mense et publice et privatim ad Annam Perennam sacrificatum itur, ut annare perennareque commode liceat.

Ovid. fast. III 149—150	Macrob. Sat. I 12, 5
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis, et inde incipit, a numero nomina quisquis habet.	Quem mensem anni primum fuisse vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est et deinceps pro numero nominabantur. Cf. Solin. I 35.

Hae igitur explanationes, quippe quae adcurate ad verbum paene inter se conspirent, quin eundem auctorem, Varronem dico, sapiant nemo in dubitationem vocabit, quod illa Macrobii disputatio cum capite antecedente, quo Varronis sententiam praebet, argumentationis adfinitate arte cohaeret. Deinde quae fuerit Numae anni ordinandi ratio pariter exponunt Ovid. fast. I 43—44. III 151—154. Macrob. I 13, 1 sqq. Censor. 20, 4. Duos enim menses a Numa Pompilio anno Romuleo additos esse Ovidius Fulvium secutus adserit, cuius opinationem a poeta apud Varronem lectam esse veri admodum simile est, contraria Iunii Gracchani sententia, qui eos menses a Tarquinio Prisco adiunctos esse censuit, omnino neglecta (Censor. 20, 4). Qualis autem mensium a Numa additorum ordo fuerit, Naso duobus diversis modis exponit. In vv. I 43—44 Ianuarium et Februarium ceteris mensibus a Numa praemissos esse narrat. Contra versibus II 47—54 antiquissimis temporibus Ianuarium primum, Februarium ultimum anni mensem fuisse, decemviros demum hunc ordinem commutasse contendit. Quae opinio inepta fideique omnino expers est[1]), cum poeta Ianuarium primum, Februarium ultimum anni locum eodem tempore obtinuisse dicat, Ianuario autem Februarium semper continuo successisse constet. Quam ob rem hic Ovidii error

[1]) Cf. Mommsen. Röm. Chronologie p. 31 adn. 37.

nullo modo ad grammaticos referri potest, sed inde eum ortum esse arbitror, quod Ovidius duas diversas diversorum auctorum sententias a Varrone relatas inter se confudit, quorum alter anno Romuleo a Numa duos menses praemissos, alter postpositos esse docuerat (cf. Macrob. Sat. I 13, 3. Plut. Num. 18. Varro d. l. l. VI 13). Quod Ovidius de mensium ordine a decemviris mutato obtinet, cum apud nullum alium scriptorem traditum sit et prorsus improbabile videatur, Theodorus Mommsenus[1]) sine dubio recte ita explicavit, ut poetam ea, quae de intercalatione a decemviris ordinata apud Varronem legisset, falso intellexisse sumeret.

Denique apud Ovidium et Varronem eandem sententiam de duodecimestri anno a bruma incipiente invenimus. Ovidius I 163—164 canit

Bruma novi prima est veterisque novissima solis:
principium capiunt Phoebus et annus idem.

Idem fere dicit Varro d. l. l. VI 8 *Tempus a bruma ad brumam dum sol redit, vocatur annus* (cf. Censor. d. d. n. 21, 13). Quae cum ita sint, pro explorato habemus Ovidium totam fere doctrinam ad historiam anni Romani pertinentem ex Varronis antiquitatum humanarum libro XVII, ubi de annis actum est, desumpsisse.

Quacum de anno Romanorum quaestione artissime cohaeret ea, quonam ex fonte ea profecta sint, quae Ovidius vv. I 39—44 de mensium veriloquiis et vv. I 45—62 de dierum nominibus notisque profert. Quae mensium veriloquia non, ut Wintherus l. c. p. 43 sqq. vult, ex eodem fonte fluxisse, ad quem originationes singulis mensibus praemissae maximam quidem partem revocantur, inde probabile fit, quod poeta diversis locis bis de eadem re egit. Quae discordia ea ratione facile explicatur, ut Ovidium hanc de mensibus doctrinam, quam I 39—44

[1]) Römische Chronologie p. 31.

proponit, ex alio fonte hausisse suspicemur, praesertim cum veriloquia diversis locis prolata inter se minime concordent. Persuasum habeo Ovidium in his versibus componendis Varronem adhibuisse. Conferas quaeso haec veriloquia Ovidiana cum Varronianis:

Ovid. fast. I 39—44	Varro d. l. l. VI 33—34
Martius a Marte Aprilis a Venere Maius a maioribus Iunius a iunioribus Quintilis usque ad Decembrem a numero Ianuarius a Iano Februarius ab avitis umbris.	Nam primus a Marte. Secundus, ut Fulvius scribit et Iunius, a Venere, quod ea sit Ἀφροδίτη; cuius nomen ego antiquis litteris quod nusquam inveni, magis puto dictum quod ver omnia aperit, Aprilem. Tertius a maioribus Maius, quartus a iunioribus dictus Iunius. Dehinc quintus Quintilis et sic deinceps usque ad Decembrem a numero. Ad hos qui additi, prior a principe deo Ianuarius appellatus; posterior, ut idem dicunt scriptores, ab diis inferis Februarius appellatus, quod tum his parentetur; ego magis arbitror Februarium a die februato, quod tum februatur populus, id est lupercis nudis lustratur antiquum oppidum Palatinum gregibus humanis cinctum.

Quod Ovidius in Aprili et Februario explicandis e duabus originationibus apud Varronem propositis alteram solam eamque Fulvii et Iunii adfert, alteram Varronis ipsius omittit, eo nostra de Varrone Ovidii auctore sententia minime infringitur, cum a poetae ingenio certe alienum esset fontes, quos adhibuit, ad verbum exscribere, Fulvii et Iunii autem explicationes apud Varronem allatas invenisset. At nostra coniectura eo comprobatur, quod Ovidius et Varro Martii, Maii, Iunii appellationes ab uno eodemque verbo repetiverunt, Martium a Marte, Maium a maioribus, Iunium a iunioribus.

Quomodo vero Varronis veriloquia a Cincianis et Verrianis differant hoc loco disputare supervacaneum est, cum de ea

re iam supra satis copiose egerim. Maioris autem momenti mihi videtur esse, mensium veriloquia et a Varrone et ab Ovidio eodem ordine proferri. Primum menses a Marte usque ad Decembrem, tum Ianuarius et Februarius explicantur. Denique nostra opinio eo prorsus confirmatur, quod Ovidius haec mensium veriloquia eis versibus inseruit, in quibus doctrinam de anno Romanorum e Varrone depromptam protulit. Porro ad eundem librum XVIII antiquitatum humanarum, ubi Varro de mensibus disputavit, ei fastorum versus redeunt, quibus de ea re agitur, quem singuli menses locum apud singulas gentes habuerint III 87—96. VI 59—64. Ovidium talia apud Varronem legisse cum ex hoc Censorini testimonio patet de die nat. 22, 10: *Varro autem Romanos a Latinis nomina mensum accepisse arbitratus auctores eorum antiquiores quam urbem fuisse satis argute docet,* tum inde colligitur, quod Censorinus d. d. n. 22, 6, quem Paulus Weber[1]) hanc libelli partem ex Varronis antiquitatibus humanis excerpsisse demonstravit, simili ratione atque Ovidius aliarum civitatum menses attulit, ut quo modo menses apud singulas gentes dierum numero differrent exponeret. Tum vero hos versus doctrinam Varronianam sapere Henricus Willemsen[2]) recte inde coniecit, quod poeta hic admirabili arte in gentibus adferendis pariter atque Varro consuevit litterarum ordinem secutus est.

Iam ut ad dierum nomina litterasque, quas Ovidius vv. I 45—63 explicavit, transeam, has explanationes non cum Winthero[3]) ad Verrii fastorum librum, sed ad Varronis antiquitatum humanarum librum XIX revocaverim, ubi

---

[1]) P. Weber, Quaestionum Suetonianarum capita duo, diss. Hal. Sax. 1903 p. 44 sq. praeterea conferas A. Hahn, de Censorini fontibus, diss. Ien. 1905 p. 18 sq.

[2]) H. Willemsen, De Varronianae doctrinae apud fastor. scriptores vestigiis p. 19 sqq.

[3]) De fastis Verrii Flacci ab Ovidio adhibitis p. 33 sqq.

certe eaedem explicationes inveniebantur, quas nunc d. l. l. VI 27 sqq. legimus. Quam sententiam his argumentis stabiliri arbitror. In versibus I 45—63 explicantur dies nefasti (47), fasti (48), intercisi (49—52), comitiales (53), tum nundinae (54) atque calendae (55) idus (56) nonae (57), denique dies atri (57—60). Cum autem Varro et Verrius diem fastum, nefastum, comitialem, intercisum eadem fere ratione interpretentur, ex eorum explicationibus nihil concludi potest. Contra Ovidius in calendis, idibus, nonis explicandis a Verrio Flacco dissentit, cum Varrone optime concordat.

Quod Ovidius I 55 profert

Vindicat Ausonias Iunonis cura kalendas,
idibus alba Iovi grandior agna cadit,

calendas Iunoni et idus Iovi sacratas esse Macrobius quoque tradit I 15, 18, qui se Varronis sententiam adferre ipse confitetur: *ut autem Idus omnes Iovi ita omnes Kalendas Iunoni tributas et Varronis et pontificalis adfirmat auctoritas.* Ad eundem Varronem videtur redire id, quod Macrobius I 15, 16 de ove Iduli pariter atque Ovidius tradit: *sunt qui aestiment Idus ab ove Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci et omnibus Idibus immolatur a flamine.* Fortasse etiam illa Pauli glossa p. 104 v. *Idulis ovis* non, ut Wintherus l. c. p. 36 contendit, e Verrii fastis, sed e Varrone fluxit. Tabularum autem Praenestinarum adnotationes ad Ian. 1 et Ian. 13 adscriptas, quae ad calendas et idus explicandas pertinent, ab Ovidio plane abhorrent. Porro Nasonis verba I 57 *nonarum tutela deo caret* optime consentiunt cum Macrobio I 15, 21: *hi enim dies* (scil. calendae, nonae, idus) *praeter Nonas feriati sunt.* Aliud grave argumentum ad nostram coniecturam comprobandam accedit. Magna enim cum probabilitate conicitur Verrium Flaccum in fastis ad Ian. 13 de nota NP egisse, cum praesertim Festus p. 165 hanc explicationem tradiderit. Cur Ovidius, si e Verrio notarum interpretationes sumpsit,

illam notam plane neglexit? At eiusdem litterae NP interpretatio apud Varronem d. l. l. VI 27—32, ubi omnes ceterae dierum notae nominaque explicantur, desideratur, quo nostra de Varrone Ovidii auctore opinatio confirmatur. Nescio an illud quoque huic sententiae faveat, quod hi versus arte cum versibus antecedentibus coniuncti sunt, in quibus Ovidium doctrinam Varronianam protulisse constat.

2.

De feriis conceptivis ab Ovidio commemoratis pauca tantum dici possunt, cum poeta solas ferias sementivas, Paganalia, Fornacalia in carmine tractaverit. Feriarum sementivarum interpretationem ad Varronis auctoritatem referri facile apertum fit, si Nasonis versus I 657—704 cum Varrone d. l. l. VI 26 comparamus. Ovidius enim in vv. I 657—704 uno eodemque loco de feriis sementivis et de Paganalibus eodem tempore in agris celebrandis agit, ita ut inde cognoscatur poetae versus non ad diversas ferias pertinere, sed ad easdem diversa ratione in urbe et in agris celebrandas. Eundem autem sensum his Varronis verbis de l. l. VI 26 contineri: *Sementivae Feriae; dies is, qui a pontificibus dictus, appellatus a semente, quod sationis causa susceptae. Paganicae eiusdem agriculturae causa susceptae, ut haberent in agris omnes pagus, unde paganicae dictae,* R. Merkelius[1]) Georgio Wissowa adsentiente[2]) recte animadvertit. Ea denique, quae Ovidius II 513 sqq. de Fornacalibus a Varrone d. l. l. VI 25 sq. praetermissis profert, tam arto vinculo cum stultorum feriarum interpretatione coniuncta sunt, ut iure ad eundem auctorem revocentur, e quo harum feriarum narrationem pendere verisimile est, dico Verrium Flaccum, qui in fastis stultorum ferias tractavit (cf. Notiz. d. scavi 1904 p. 396). Nam stultorum ferias ei celebrare solebant, qui Fornacalibus suis feriati non essent.

[1]) Prolegom. ad Ovid. fastos p. CLV.
[2]) Marquardt-Wissowa, Röm. Staatsverwaltung III p. 199 adn. 8.

3.

Atque primum quidem Ovidii digressionum ad singulos deos spectantium ea, quae ad Ianum pertinet (fast. I 89—288), examinanda est, ut quo ex fonte profecta sit cognoscatur. Quam de Iano deo relationem non, ut Theodorus Litt l. c. p. 19 nullis fere argumentis nisus contendit, ad Verrii fastos redire inde apertum fit, quod poeta ipse I 289

quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis

illam de Iano doctrinam, quam versibus antecedentibus protulit, se non in fonte ad fastos pertinente invenisse manifesto monet.

In illa narratione, qua cur aes ex altera parte navis effigie signatum sit exponit (fast. I 231—240), Ovidius Hyginum Augusti aetatis grammaticum adhibuisse videtur. Nam cum Naso eandem interpretationem praebeat atque Hyginus apud Macrobium Sat. I 7, 22 et ab omnibus reliquis explicationibus discedat, eum C. Iulii Hygini vestigia pressisse contendere non dubito.

Fast. I 233 sqq.

causa ratis superest: Tuscum rate venit in amnem
ante pererrato falcifer orbe deus.
hac ego Saturnum memini tellure receptum:
caelitibus regnis a Iove pulsus erat.

Fast. I 239 sqq.

at bona posteritas puppem formavit in aere,
hospitis adventum testificata dei.

Hygin. ap. Macrob. Sat. I 7, 22: *cum primus* (scil. Ianus) *quoque aera signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una*

quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam in posteros propagaret. In utroque igitur fonte legitur: aes propterea navis effigie ornatum esse, quod Saturnus navi in Latium venerit. Prorsus diversam explicationem Servius Aen. VIII 357 refert, qui navis signum ob eam rem in aere exprimi censet, quod Ianus ipse navi in Latium venerit. Plutarchus autem in quaestionibus Romanis c. 41 praeter Hygini et Ovidii causam, quam in transcursu commemorat, aliam multo fusius exponit nec utra praeponenda sit dicit. Huc alia indicia accedunt, quae ut Hyginus a Nasone adhibitus sit suadeant. Atque primum quidem Suetonius de gramm. et rhet. 20 p. 115 Rff. tradit poetam artissimo amicitiae vinculo cum Hygino coniunctum fuisse. Deinde R. Merkelius (Prolus. ad Ib. p. 389) tristium elegiam III 14, qua totum librum dedicavit, ad Hyginum iure rettulit. Quam coniecturam nuper Hermannus Peter novis argumentis stabilivit[1]). Quamobrem nunc inquirendum est fierine possit, ut tota de Iano deo doctrina ab Ovidio proposita ad eundem auctorem recedat. Iam ad eos versus examinandos progrediamur, quibus narratur Sabinorum bello Ianum deum hostes, cum a Capitolio descendentes per portam, quae postea Ianualis vocata est, in urbem inrupturi essent, fontibus calidis reclusis in fugam vertisse (fast. I 261 sqq.). Hanc fabulam eundem auctorem secuti similiter tradunt Macrobius Sat. I 9, 17 et Servius Aen. I 291. Pauca enim sunt, quibus poeta in fabula enarranda ab his scriptoribus discedat nec tantum valent, ut tres auctores e diversis fontibus pendere statuamus. Ovidius Iani auxilium causam putat, cur deus in templo ad forum sito colatur, Macrobius et Servius cur fores Iani bello pateant, pace claudantur. Ut hac in re paulum a narratione in fonte lecta discederet et ea, quae auctor de porta Ianuali narravit, ad Ianum deum referret, poetam eo commotum

[1]) H. Peter, Historic. Roman. reliquiae II p. CIII sq.

esse arbitror, quod in fastis praecipue Iani virtutes, quem ipsum sibi doctrinam praebuisse fingit, celebrare volebat. Iam vero in Ovidii fastis illa narratio cum Tarpeiae fabula coniuncta est et porta a Iunone patefacta esse narratur. At Macrobius Serviusque Tarpeiae mentionem non faciunt et portam Ianualem sponte apertam esse tradunt. Quae leviores discrepantiae unde ortae sint Ovidii metamorphoseon libri XIV versibus 775—804[1]) comparatis facile cognoscitur. Etenim poeta eam narrationis formam, quam apud auctorem suum legit, cum illa contaminavit, quam antea in metamorphoseon libro protulerat, ubi Tarpeiam commemoravit et id imprimis egit, ut Iunonis iram et Veneris in Romanos clementiam describeret. Quam narrationem de Roma servata ad Hyginum referri, si non luculentis argumentis demonstratur, tamen aliqua cum probabilitate conicitur. Nam Hyginus in libro de urbibus Italicis, ex quo etiam illa aeris interpretatio apud Macrobium servata, quam supra in comparationem vocavimus, fluxisse videtur, non solum urbium origines tractavit, sed etiam quam plurimas fabulas delectationis causa inseruit[2]). Hanc autem Nasonis fabulam ad Hyginum redire vel ea de causa verisimile est, quod Ovidius eam apud Varronem invenire non potuit, qui neque in libro XVI antiquitatum divinarum, ubi in Iani natura explicanda physicorum imprimis sententias secutus est, neque d. l. l. V 156, ubi Lautolarum fontes commemorantur, eius mentionem fecit. Poetam vero in libris de significatione verborum Verrii Flacci, quem de Lautolarum fontibus disputasse ex Festo p. 118 scimus, illam fabulam legisse veritatis specie non commendatur, cum praesertim ne unus quidem Ovidii fastorum locus ullam certam

[1]) De discrepantia, quae inter metamorphoseon et fastorum relationem intercedit, cf. B. Pressler, Quaestionum Ovidianarum capita duo, diss. Hal. Sax. 1903 p. 21 sqq.

[2]) Cf. H. Peter, Historic. Rom. reliquiae II p. CII.

ansam praebeat, ut hos libros a poeta in usum vocatos esse credamus.[1] Iam reliquum est, ut Iani ipsius interpretationes a poeta I 103—140 propositas ad fontem revocemus. Primam Iani originationem, quam poeta vv. I 103—114 exhibet, Iani nomen a *Chao* derivandum esse, etsi apud unum Verrium Flaccum in libris de significatione verborum invenitur (cf. Paul. p. 52, 11), apud omnes autem alios scriptores, qui de Iano deo agunt, desideretur, tamen ex his Verrii libris fluxisse vix statuere ausim, cum, ut iam supra monui, huius operis ab Ovidio inspecti nulla fere vestigia in fastis occurrant. Altera vero Iani explicatio (fast. I 115—140), Ianum eundem atque solem esse, apud Macrobium I 9, 9, Lydum de mens. IV 2, Arnobium III 29 occurrit. Etenim eadem sententia in his Ovidii et Macrobii verbis manifesto recognoscitur:

Fast. I 115 sqq.

Accipe, quaesitae quae causa sit altera formae,
hanc simul ut noris officiumque meum.
quicquid ubique vides, caelum, mare, nubila, terras,
omnia sunt nostra clausa patentque manu.

Fast. I 125 sq.

praesideo foribus caeli cum mitibus Horis:
it, redit officio Iuppiter ipse meo.

Fast. I 137 sqq.

utque sedens primi vester prope limina tecti
ianitor egressus introitusque videt,
sic ego perspicio caelestis ianitor aulae
eoas partes hesperiasque simul.

Macrob. Sat. I 9, 9 *Ianum quidam solem demonstrari volunt et ideo geminum quasi utriusque ianuae caelestis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.* Tres illos auctores Macrobium, Lydum, Arnobium, cum in ve-

[1]) Cf. Merkel, Prolegomena ad Ovid. fastos p. XCVI sq.

terum de Iano doctrina exponenda interdum inter se dissentiant, Agahdius[1]) Kahlium[2]) secutus recte monuit e Cornelio Labeone auctore non proximo, sed ultimo pendere. Sed iam quaeritur, quem ad auctorem Cornelii Labeonis Iani interpretatio revocanda sit. Nomen eius scriptoris, qui primus hanc Iani explanationem protulit, Laurentius Lydus, quamquam de Iano doctrinam plane turbavit, recte videtur servasse de mens. p. 65, 16 *ὅ γε μὴν Λουτάτιος Ἥλιον παρὰ τὸ ἑκατέρας πύλης ἄρχειν, ἀνατολῆς ἴσως καὶ δύσεως*, cum Macrobius I 9, 9 *quosdam* testes laudet. Hunc scriptorem esse Lutatium Daphnidem grammaticum, qui communes historias scripsit, non C. Lutatium Catulum, qui a. 652 = 102 consul fuit et cuius tres libri de consulatu a Cicerone Brut. 132 laudantur, Otto Iahnius summa cum probabilitate ostendi.[3]) Cuius Lutatii Daphnidis, quem Sullae fere aetate floruisse verisimile est, librum Ovidium ante oculos non habuisse, sed eius doctrinam apud recentiorem auctorem legisse cum per se probabile est, tum inde adparet, quod Varro (d. l. l. V 150) et Verrius (fast. Praen. ad Mart. 23) Augusti aevi grammatici Lutatium exscripserunt. Ad eundem auctorem medium eos poetae versus, quibus cur Ianus primus omnium deorum invocari soleat exponitur (fast. I 171—174), ob eam rem rettulerim, quod ea Macrobii verba, quibuscum poeta adcurate consentit, artissime cum explicatione antecedente, quae Lutatii opinionem reddit, coniuncta sunt.

[1]) R. Agahd, M. Ter. Varronis antiquitatum rer. divin. l. I. XIV. XV. XVI. Annal. philol. suppl. XXIV (1898) p. 118.

[2]) Kahl, Cornelius Labeo. Philol. suppl. V p. 719 sqq.

[3]) O. Jahn, Prolegom. ad Pers. p. CXLIII adn. 2. Teuffel in hist. lit. Rom. § 142, 4. Contra Theodorus Mommsen C. I. L. I² p. 313 et Hermannus Peter, Historic. Roman. reliquiae I p. CCLXXIII satis infirmis argumentis nisi C. Lutatium Catulum communium historiarum auctorem arbitrantur, quem Peterus praeterea librum de antiquitate et rebus grammaticis composuisse censet. Idem fere iudicat Martinus Schanz in hist. lit. Rom. I p. 136.

Ovid. fast. I 171—174

Mox ego: 'Cur, quamvis aliorum numina placem,
Iane, tibi primum tura merumque fero?'
'Ut possis aditum per me, qui limina servo,
ad quoscumque voles' inquit 'habere deos.'

Macrob. I 9, 9 *invocarique primum, cum alicui deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum cui immolatur accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat.* Apud quem autem scriptorem Ovidius primam Iani etymologiam legerit et quo auctore interposito Lutatii Daphnidis interpretationem acceperit si nunc quaerimus, facile adparet fieri potuisse, ut apud Hyginum, e quo fabulas de Iano propositas desumptas esse probabile est, has quoque explicationes legerit, quod Hyginus in urbibus Italicis non solum de Iano fabulas protulit, sed etiam de Iani natura disputavit, ut ex his verbis dilucide perspicitur Hygini apud Macrob. Sat. I 7, 20 *post ad Ianum solum regnum redactum est, qui creditur geminam faciem praetulisse, ut quae ante quaeque post tergum essent intueretur. quod procul dubio ad prudentiam regis sollertiamque referendum est, qui et praeterita nosset et futura prospiceret, sicut Antevorta et Postvorta, divinitatis scilicet aptissimae comites, apud Romanos coluntur.* Sed ad eundem auctorem etiam Hygini fragmentis et Macrobii Lydique locis, qui ad Ianum spectant, inter se comparatis deducimur. Hygini fragmenta si examinamus, miramur eum doctrinam propositam nusquam fere pro sua vendidisse, sed semper adcurate nomina auctorum adscripsisse (cf. fr. 2. 6. 7. 10 Peter). Quo factum videtur esse, ut Laurentius Lydus Lutatii nomen tradiderit et Macrobius quosdam testes laudaverit.

Iam deinceps ad Nasonis de Vesta dea digressionem (fast. VI 249—460) accedamus, qua imprimis causas exponit, cur aedes Vestae rotunda sit (fast. VI 265—282) et cur Vestae deae virgines sacra faciant (fast. VI 283—294).

Rotundam aedis Vestae formam poeta inde explicat, quod Vesta eadem atque terra sit, terra autem medio in aëre pendens pilae formam praebeat.

Fast. VI 265 sqq.

Forma tamen templi, quae nunc manet, ante fuisse
dicitur, et formae causa probanda subest.
Vesta eadem, quae Terra: subest vigil ignis utrique,
significantque deam templa focusque suam.[1])
terra pilae similis, nullo fulcimine nixa,
aëre subiecto tam grave pendet onus.

I 279 sqq.

et quantum a summis, tantum secessit ab imis
terra. quod ut fiat, forma rotunda facit.
par facies templi: nullus procurrit in illo
angulus. a pluvio vindicat imbre tholus.

Vestam deam eandem esse atque terram Varronis fuit sententia, ut hoc antiquitatum divinarum fragmentum docet R. D. XVI 64a Agahd (Augustin. c. d. VII 16) *Vestam quoque ipsam propterea dearum maximam putaverunt, quod ipsa sit terra, quamvis ignem mundi leviorem, qui pertinet ad usus hominum faciles ..... ei deputandum esse crediderunt*[2]). Nec illud, terram pilae formam habere, quamquam in hoc antiquitatum divinarum libro non commemoratur, Varroni ignotum videtur fuisse, cum eiusdem auctoris verba d. l. l. VII 17 hanc sententiam redoleant: *Praeterea, si quod medium id est umbilicus [ut] pila terrae, non Delphi medium.* Quamobrem totam poetae doctrinam in vv. VI 265—282 propositam ex Varronis antiquitatum divinarum libro XVI petitam esse manifestum est.

---

[1]) In cod. hic versus traditus est *significantque sedem terra focusque suam*, quem ab Hertzbergio (Zeitschr. f. Altertumswissenschaft 1846 p. 254) emendatum H. Peter iure in textum recepit. Cf. Peter, Ovids Fasten II p. 93.

[2]) Cf. Dion. Hal. II 66. Arnob. III 32.

Causarum, cur Vestae sacerdotes virgines fuerint, quas Ovidius VI 283—294 exhibet, alteram (VI 285—290) e Graeco quodam fonte fluxisse Hermannus Peter Graecorum poetarum locis (Hesiod. theog. 453. Hymn. in Vener. 22) collatis recte coniecit[1]), contra alteram (VI 290—294) cum Varronis antiquitatum divinarum fragmento XVI 64b Agahd (Augustin. c. d. IV 10) comparare iuvat.

Ovid. fast. VI 291—294

Nec tu aliud Vestam quam vivam intellege flammam,
nataque de flamma corpora nulla vides.
iure igitur virgo est, quae semina nulla remittit
nec capit, et comites virginitatis amat.

R. D. XVI 64b: *Terram etiam Vestam volunt, cum tamen saepius Vestam non nisi ignem esse perhibeant, pertinentem ad focos, sine quibus civitas esse non potest; et ideo illi virgines solere servire, quod sicut ex virgine ita nihil ex igne nascatur*[2]). Quin igitur Ovidius, quippe qui hoc loco eandem physicorum sententiam acceperit quae Varroni placuit, Varronis antiquitatum divinarum libro XVI usus sit, dubitari nequit. Ad eundem fontem eam Vestae etymologiam recedere, quam poeta VI 299 praebet

Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur

et quae apud Serv. interp. Aen. II 296 et Arnob. III 32 tradita est, etsi in Varronis antiquitatum divinarum l. XVI fragmentis non invenitur, inde adparere puto, quod in Varronis sententia, Vestam terram esse, nititur. Num vero foci et vestibuli veriloquia ab Ovidio fast. VI 301 sqq. proposita ex eodem antiquitatum divinarum libro fluxerint Agahdius l. c. p. 219 suo iure in dubitationem vocavit. Nihilominus autem poetam has etymologias in aliis Varronis libris legisse constat, cum Varronem in antiquitatum divinarum libro V focum a fovendo derivasse

[1]) H. Peter, Ovids Fasten II p. 95.
[2]) Plut. Num. 9. Lactant. inst. I 12, 5.

e Servio interp. Aen. III 134. XI 211, eundem de vestibulo nescio quo loco egisse e Servio VI 273 sciamus.

Eam denique Ovidii narrationem de Pico et Fauno a Numa sopitis (fast. III 285—348), quae simillima ratione ab Arnobio V 1 et Plutarcho in vita Numae c. 15 tradita est, ad Valerium Antiatem revocandam esse iam pridem perspectum est[1]). Arnobius enim diserte adfirmat se fabulam illam e Valerio Antiate desumpsisse V 1: *in secundo Antiatis libro — ne quis forte nos aestimet concinnare per calumnias crimina — talis proscripta est fabula.* Ovidii autem expositio, etiamsi maximam quidem partem cum Valerii relatione apud Arnobium Plutarchumque servata concordat, tamen in una re non levidensi ab his scriptoribus discrepat. Quamquam enim omnes tres auctores consimiliter tradunt Picum et Faunum Egeria monente a Numa vinctos regem docuisse, quomodo Iuppiter e caelo in terram eliceretur, ut quibus sacrificiis fulmina procurarentur aperiret, tamen in ea re valde dissentiunt, cur Iuppiter pro hominum capitibus alia piacula acceperit. Apud Nasonem Iuppiter se hominum capita flagitare simulat et Numae prudentiam experiri conatur fast. III 337—338

adnuit oranti, sed verum ambage remotum
abdidit et dubio terruit ore virum.

Fast. III 343—344

risit et 'His' inquit 'facito mea tela procures,
o vir conloquio non abigende deum.'

At in Arnobii et Plutarchi narratione Iuppiter Numae dolo captus victumas humanas poscere desistit. Cf. Arnob. V 1: *Tunc ambiguis Iovem propositionibus captum extulisse hauc vocem 'decepisti me Numa; nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, non maena capillo caepicio: quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti habeto morem et his rebus quas pactus es procura-*

[1]) H. Peter, Ovids Fasten II p. 47.

tionem semper suscipies fulguritorum. Haec igitur discrepantia suadet, ut Nasonem de Pico et Fauno narrationem non ex Valerio ipso, sed alio auctore intercedente accepisse statuamus. Quis vero auctor ille proximus fuerit, quem Ovidius inspexit, nostris subsidiis diiudicari non potest. Attamen id pro certo adfirmare possumus, Valerii sententiam de hac fabula Ovidii auctori fundamento fuisse.

Non omnes Ovidii fastorum partes a Verrii fastis alienas in hac disputationis parte tractavimus. Non modo fabellas Graecas et astronomicas in tali commentario certe non relatas, de quibus iam satis copiose quaesitum est [1]), sed etiam digressiones, quae ad Romanorum antiquitatem et historiam spectant, neglaximus, velut eas, quibus poeta de Fabiorum exitu, de fuga regis Tarquinii, de Caco, de Romulo et Remo similibusque egit, cum non multo abhinc tempore de eis disputaverit Aemilius Sofer edita disputatione, quae praefert titulum: *Livius als Quelle von Ovids Fasten* [2]). Leviora quoque Varronianae doctrinae vestigia hoc loco denuo colligere piget, quae et a R. Merkelio in prolegomenis editionis fastorum p. C sqq. et a Christiano Huelseno [3]) adcurate congesta sint.

---

1) Cf. Bruno Pressler, Quaestionum Ovidianarum capita duo, diss. Halis. Sax. 1903.

2) Programm des Maximiliansgymnasiums zu Wien 1906.

3) De Varronianae doctrinae quaenam in Ovidii fastis vestigia exstent, diss. Berol. 1880. Cf. etiam Huelseniani libelli censuram, quam edidit G. Nick, Philol. Anzeiger XI p. 183.

Commentationis argumentum.

Vita.

Natus sum Carolus Franke in vico, cui nomen est Gross-Duengen, prope Hildesiam sito die 30. mensis Iulii a. 1885 patre Carolo matre Anna e gente Sander, quos acerbissimo fato mihi ereptos esse valde lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus a. 1896 in gymnasium Hildesiense, quod vocant Andreanum, receptus sum, cuius scholas per novem annos frequentavi. Vere anni 1905 maturitatis testimonio instructus Friburgi per sex menses studiis me dedi philologicis et historicis. Deinde Halas Saxonum me contuli, ubi per septem semestria lectionibus interfui.

Docuerunt me viri illustrissimi:

Friburgenses: Fabricius, Lommatzsch, Puchstein, B. Schmidt, v. Simson.

Halenses: Bechtel, Blass †, Bremer, Brode, Consbruch, Dittenberger †, Ebbinghaus †, Fester, Fries, Hasenclever, Heldmann, Ihm, Kern, Medicus, Muff, Niese, Praechter, Robert, Saran, Wilcken, Wissowa.

Proseminarii philologici exercitationibus interfui v. d. Blass moderante, seminarii philologici regii per tria semestria sodalis fui ordinarius regentibus vv. dd. Blass, Kern, Wissowa.

Praeterea mihi permiserunt, ut interessem exercitationibus historicis Niese, archaeologicis Puchstein paedagogicis Fries.

Hos omnes praeceptores optime de me meritos grato animo semper persequar, imprimis autem Georgio Wissowa, h. t. rectori magnificentissimo, quo auctore me hanc dissertationem composuisse quemque me in ea componenda auxilio consilioque semper adiuvisse gratissimo animo profiteor, quantum debeam, numquam obliviscar.